



# EDVARDI CORSINI

CL. REG. SCHOLARVM PIARVM
IN ACADEMIA PISANA
PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

# DISSERTATIONES IV. AGONISTICAE

*QVIBVS*

OLYMPIORVM . PYTHIORVM . NEMEORVM
ATQVE ISTHMIORVM

TEMPVS INQVIRITVR AC DEMONSTRATVR

*ACCEDIT*

HIERONICARVM CATALOGVS


EDITIS LONGE VBERIOR ET ACCVRATIOR




FLORENTIAE . ANNO . CIↃ. IↃ. CC. XLVII.
E TYPOGRAPHIO IMPERIALI

PRAESIDVM ADPROBATIONE






*EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI*

# ANGELO MARIAE QUIRINO

## S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

### APOSTOLICAE SEDIS BIBLIOTHECARIO

E T

### EPISCOPO BRIXIENSI

EDVARDVS CORSINVS.




Ptime, atque eleganter a Pindaro dictum accepimus:

. . . . . ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον

Χρὴ θέμεν τελαυγές. (1)

illustres nimirum aditus, primamque operis in-

✠ 2 ce-

(1) Olymp. Ode VI. ver. 4.

cepturi frontem, ſplendidam & ornatam eſſe oportere; ut exinde facile in ceteras partes omnes ornamentum, ac ſplendor uberrime diffundatur. Aureum hoc praeſtantiſſimi, divinique Poëtae praeceptum oculis mihi iampridem, atque animo, QVIRINE CARDINALIS AMPLISSIME, obverſabatur, ubi de AGONISTICIS hiſce DISSERTATIONIBVS edendis cogitavi, quibus celeberrimos quatuor Graeciae Ludos ita illuſtrandos ſuſceperam, ut verum tempus, quo ipſorum quilibet inſtaurari conſueverat, quantum fieri fortaſſe poterat, accuratiſſime oſtenderetur. Optime nimirum noveram eximiam hanc quidem, atque pulcherrimam eſſe diſſerendi materiem, ſive Ludorum gloriam, ſive clariſſimos, atque immortales Viros illos conſideres, qui in hoc ipſo argumenti genere mihi praeluxerant; ſed altera tamen ex parte vereri profecto poteram, ne quidquid ipſe coniicere, vel meditari potuiſſem, longe infra ipſius dignitatem iaceret; adeoque haec Sparta, quae ornanda mihi, novoque propemodum cultu decoranda contigerat, Eruditorum oculis impolita, atque indecora prodiret. Illud etiam accedere videbatur, quod ſi doctorum homi-

num

num vestigiis hic ubique pressius insistere, ipsisque facem praeferentibus, de vero Ludorum tempore differere licuisset, alacrius id certe, leviorique aut erroris, aut invidiae periculo praestare fortasse poteram. At ingenuus ipse veritatis amor me sensim abripuit, ut ab illorum hypothesi subinde deflecterem; atque praesertim in definiendo Pythiadvm, Nemeadvm, ac Isthmiadvm tempore sententiam illam amplecterer, atque Eruditorum hominum iudicio excutiendam proponerem, quae a recepta iam, communique Scaligeri, Petavii, Dodvelli sententia plurimum dissideret. Id vero quam lubricum, atque difficile censeri, vel esse, consueverit, Pindaro ipso iudice, ac praeceptore didiceram: (1)

> . . . . . . πολλὰ γὰρ, πολλὰ λέλεκται. νεαρὰ δ' ἐξευρόντα δόμεναι
> βασάνῳ ἐς ἔλεγχον ἅπας κίνδυνος, ὄψον φθονεροῖσιν.

Itaque maximo, optimoque iure in votis habui, ut in ipsa operis huiusce fronte tuum, Qvirine, nomen affulgeret; adeoque Dissertationes istae, quae Tibi maximo, atque immorta-

(1) Nemea VIII. ver. 33.

tali tuo munere inſcriptae forent, id ſplendoris, & gloriae, quod ex ingenii mei tenuitate ſperare certe vix poterant, ex auſpicio, nomine, praeſidioque tuo feliciter aſſequerentur. Quid enim illuſtrius mihi, vel ſtudiis hiſce meis honorificentius eſſe unquam poterat, quam ſi ea Tibi conſecrata, ac probata forent, qui in omni literarum genere quam qui maxime commendatus, communes Eruditorum omnium plauſus, atque amorem Tibi mirifice conciliaſti? Vivunt adhuc Florentiae, atque omnium ora pervolitant, praeclara ingenii, eruditionis, ſcientiaeque tuae argumenta, quibus maxima de Te iam inde ab ineunte aetate ſperare iuſſiſti; neque interitum verebuntur egregiae ſignificationes illae honoris, & obſervantiae, quibus Italiae, exterarumque Gentium conſenſu, iudicioque graviſſimo virtutis, ac doctrinae laudem adeptus es immortalem. Alte nimirum omnium animis inſedit, atque in oculos ipſos incurrit incredibilis ardor ille, quo literarum ſtudia, atque honeſtiſſimas facultates omnes ita complecteris, ut maximus illis per Te, immenſuſque ſplendor accedat. Certe ego veterem Corcyrenſis in-

ſu-

ſulae gloriam Homero, ceteriſque Scriptoribus celebratam, ſpirantem iterum, ac redivivam intueri videor, ubi ipſius primordia, ritus, inſtituta, mores, hiſtoriam, res a Phaeacibus praeclare geſtas, Argonautarum itinera, aetatem, aliaque id genus plurima, quae doctiſſimos etiam Viros effugerant, ex ultima Antiquitatis memoria, ac penitioris Hiſtoriae monimentis a Te feliciter eruta, ſubtiliter definita, elegantiſſimeque deſcripta conſpicio. Quid vero de plurimis Italicae, ac Brixienſis praeſertim Literaturae monimentis hic dicam, quae ſic a temporis iniuria, atque interitu vindicaſti; ut ſimul etiam perſpicuis, certiſque characteribus demonſtraveris literarum ſtudia, quae miſero quodam fato ubique Gentium languere, vel exſtingui coeperant, ab Italis excitata, priſtinoque ſplendori, ac dignitati reſtituta fuiſſe; ut ab Italis ipſis, qui primam hanc verae ſapientiae facem extulerunt, in exteras deinde Gentes omnes longe lateque profluxerint? Quis immortalium Virorum Pauli II. & Pauli III. Pontificum Optimorum, Maximorumque, Franciſci Barbari, Reginaldi Poli aeterna prorſus in rem Chriſtianam, ſimul-

que

que in Literas merita, atque Hiſtoriam vel e tenebris eductam, vel ab erroribus abſterſam, vel nova prorſus per TE, aureaque luce perfuſam eſſe non videat? Quis ſacra illa vetuſtae, religioſaeque Diſciplinae monimenta venerari non debeat, quae tanto Eccleſiae, veraeque Religionis decore perpetuis, accuratiſque obſervationibus illuſtrata, publica luce, Latinaque etiam Vrbe donaſti? Quis cetera, ac praeclara illa ſane, & innumera ingenii, doctrinaeque tuae argumenta non admiretur, quibus in dies, inter graviſſimas rerum publicarum curas, in ipſis etiam itinerum difficultatibus Rempublicam literariam ornare pergis; atque in iis purioris elegantiae vim, acre iudicium, uberem demum, beatamque omnigenae eruditionis copiam non ſuſpiciat? Itaque, cum ipſe tanta Sapientiae gloria commenderis, atque in omni diſciplinarum genere maxime excelleas, mirari certe non poſſumus, ſi literarum cauſſam, eiſque deditos homines incredibili prorſus humanitate complecti, munificentia, atque amore fovere, iiſque vere praeſentiſſimum Sidus affulgere conſueveris: ut, cum plurima humanitatis, ac bene-

ficen-


ficentiae huius tuae monimenta publicis etiam decretis aeternitati consecrata frequentissime occurrant; longe tamen plura, ac illustriora in Eruditorum hominum scriptis, Marmoribus certe, vel aere perennioribus, obversentur; adeoque longe graviori, meliorique iure de TE usurpari nunc possit, quod Pindarus ipse de Therone iam dixerat (1)

Αὐδάσομαι ἐνόρκιον
Λόγον ἀλαθεῖ νόῳ,
Τεκεῖν μή τιν᾽ ἑκατόν
γ᾽ ἐτέων πόλιν
Φίλοις ἄνδρα μᾶλλον
Εὐεργέταν πραπίσιν, ἀ-
φθονέστερόντε χέρα.


Sed quorsum ista commemoro, QVIRINE CARDINALIS AMPLISSIME, laudesque hic tuas nulli propemodum ignoratas, sed una potius, constantique Eruditorum omnium voce celebratas ingredior: cum iis praesertim pro rei dignitate efferendis imparem esse me sentiam? Non alio id certe consilio, quam ut omnes intelligant quam merito studiis hisce meis TE unum Auspicem, ac Patronum optaverim, quantum mihi vel Dissertationibus hisce meis im-

(1) Olymp. II. ver. 166.

immortali tuo Nomini consecratis, ex ipsa nominis, dignitatis, sapientiae, virtutumque tuarum gloria, praesidioque pollicear: ut, si illae Tibi doctissimo, probatissimoque Viro placere, probarique fortasse possint, nihil sit certe cur aliorum iudicia vereri ego debeam, aut ab ingenuis Antiquitatis cultoribus illas probari, meque apud ipsos gratiam aliquam inire posse desperem. Itaque id unum oro obtestorque Te, Qvirine Maecenas optime, ut exiguum hoc observantiae in Te meae monimentum ea, qua cetera consuevisti, humanitate complectaris; atque, ubi reliqua fortasse decora, & ornamenta deesse illi videas, eximiam hanc saltem operis, & argumenti dignitatem, simulque effusam in Te voluntatem meam intuearis, ipsumque veluti memoris, grati, devinctissimique animi pignus excipias.



OPE-



*Ex Num. ant. et Gemma ant.*

# OPERIS ARGVMENTVM ET SYNOPSIS

## DISSERTATIO I.

## OLYMPIA.

I. *LYMPICORVM Ludorum dignitas, atque praestantia ex Pindaro, aliisque Scriptoribus indicatur. Variae dignitatis huius, & excellentiae caussae proferuntur; atque illud in primis Olympiorum decus exponitur, quod ex ipsa Olympiadum serie, veluti perspicuo, certoque temporum charactere, plurimus in re Chronologica splendor, ac praesidium oriatur.* II. *Primam tamen Olympiorum originem hactenus incompertam, & obscuram esse demonstratur. Olympia, ab Hercule primum instituta, Troiani belli temporibus excidisse; mox ab Iphito restituta, iterumque intermissa fuisse ostenditur; donec ab Olympiade, qua Coroebus palmam obtinuit, veluti* prima, *constans, ac perpetua ipsarum series inciperet.* III. *Verum primae huius Olympiadis* numeratae *tempus exponitur. Olympicos Ludos non antiquioribus solum temporibus, quibus civiles Graecorum anni lunares erant, sed recentioribus etiam, quibus solares anni usurpari iam coeperant, circa solstitium aestivum peragi consuevisse ostenditur: idque olim plenilunii tempore contigisse ex Pindaro, & Scaligero demonstratur.* IV. *Tetraeteris Olympica, sive* 

*Elidensis Periodus a Scaligero excogitata refellitur. Ingeniosa quoque Dodvelli sententia de Octaeterica Elidensium periodo, civilis anni cardine, & embolimi mensis situ exponitur, ac impugnatur.* V. Apollonium, *&* Parthenium *menses a Scholiaste Pindarico memoratos neque ad Delios, neque ad Elidenses referri posse contra Dodvellum asseritur. Scaligeri, simulque Dodvelli inconstantia, vel error in definiendo Elidensis anni principio, Olympico Elidensium mense, eiusque nomine indicatur.* VI. *Menses illos ad ipsam potius Scholiastae patriam referendos esse coniicitur; ut in illa civilis annus ab Attico Metagitnione, ideoque facile ab ortu Caniculae, duceretur.* VII. *Hinc menses illos Cilicibus fortasse, vel Ceis adscribi posse coniecturis innuitur. Norisii sententia de civilibus Cilicum mensibus exponitur, atque explicatur. Elidensis anni principium ab Olympico mense repetendum esse suadetur.* VIII. *Series, & ordo proponitur, quo varia Certaminum genera, ac universa Olympiorum celebritas quinque dierum spatio absolveretur. Pancratii, pentathli, stadii, aliorumque Certaminum, quae primis Olympiorum diebus agebantur, significatio, & origo demonstratur.* IX. *Pugilatus etiam, armatorum cursus, celetis, apenes, calpes, bigae, currus, tethrippi vel quadrigae institutio, ipsorum varietas, atque discrimina declarantur.* X. *Sacrificiorum, ac pompae dies inquiritur, quae ab Elidensibus, aliisque Graeciae Populis exhibebatur: an in Olympici Festi principium, vel finem potius incideret. Pausaniae, & Pindarici Scholiastae testimonia conciliantur. Insignis quidam Andocidis, & Demosthenis locus antea depravatus restituitur, ac illustratur. Architheoros ad Olympia, & cetera Graecorum Certamina ab Atheniensibus mitti consuevisse demonstratur.* XI. *Profanam quidem Olympiorum celebritatem Theodosii Magni temporibus sublatam; Indictiones tamen longe prius usurpatas esse contra Cedrenum ostenditur.* Olympiadis, *ac* Lustri *nomen, florentibus adhuc Olympiae Ludis, promiscue a Latinis Scriptoribus usurpatum esse contra Scaligerum demonstratur. Antiochenorum Olympiorum origo, ritus, & historia ex Malela profertur, ac illustratur; simulque Prideauxii error ostenditur.* XII. *Olympicos Ludos Smyrnae quoque, & Alexandriae celebratos esse ex Marmoribus, & Scriptoribus indicatur. Alexandrinarum Olympiadum cardo, vel institutio contra Dodvelli sententiam constituitur. Athleticum Marmor contra Dodvellum, ac Fabrum exponitur, & illu-*

*stra-*

*stratur. Olympiades etiam Macedonicae memorantur.* XIII. *Athenis etiam Olympia celebrari consuevisse Pindari, aliorumque Scriptorum testimoniis ostenditur. Eximius Thucydidis, & Hesychii locus contra Dodvelli mentem exponitur.* XIV. *Olympiades alias Athenis peragi, atque etiam numerari consuevisse nunc primum ex Marmore demonstratur. Marmor ipsum profertur, & illustratur; earumque Olympiadum cardo, vel institutio definitur.* XV. *Maxima in civilibus Graecarum Vrbium annis, ipsorumque principio varietas observatur. Accuratior methodus, & ratio proponitur, qua civiles Atheniensium anni, & Archontes Eponymi cum Olympicis annis ante Olymp.* LXXXVII. *committi debeant; eademque variis exemplis contra Dodvellum, aliosque Fastorum Scriptores confirmatur. Methodus etiam in Romanis Consulibus, ac Olympicis annis invicem committendis a Dionysio Halicarnasseo, aliisque Scriptoribus usurpata, & Fastorum Consularium labes apud Diodorum indicatur.*

# DISSERTATIO II.

## PYTHIA.

I. PYTHICOS *Ludos ab Apolline primum celebratos, moxque diu intermissos, ab Amphictyonibus demum, confecto Crissensi bello, instauratos esse Pindarici Scholiastae testimonio demonstratur; eiusque locus antea depravatus restituitur, ac illustratur.* II. *Eadem quoque Pythiorum restitutio Oxoniensis Marmoris testimonio confirmatur; simulque Marmoris a Scholiaste dissidium in definiendo secundae, vel* coronariae *Pythiadis anno indicatur. Scholiastae calculus, & vulgata lectio contra Lydiatum, Prideauxium, Dodvellum, aliosque plures asseritur. Alterius Scholiastae, & Censorini locus de enneaeterico Pythiadum intervallo explicatur.* III. *Coronariam Pythiadem omnium* primam *ab Amphictyonibus celebratam in Olympiadem XLVIII. non XLIX. incidisse ex Pausania demonstratur. Insignis Scaligeri, Meursii, Dodvelli, aliorumque Scriptorum error in definiendo Archontis Damasiae II. Situ, vel anno indicatur. Eximius Laërtii locus contra Meursii, aliorumque mentem exponitur; & Damasiae II. nomen Archontum Fa-*

 *stis*

*stis anno* 3. *Olymp. XLVIII. inscribendum esse probatur*. IV. *Alterius, vel I. Damasiae nomen anno* 2. *non* 1. *Olymp. XXXV. Fastis inscribendum esse contra Meursium, ac Dodvellum ostenditur. Dionysii Halicarnassei locus a Meursii explicatione defenditur, & illustratur; verumque tempus definitur, quo Thaleti, ceterisque sex Graeciae Philosophis* Sapientis *nomen concessum fuit*. V. *In Oxoniensi Marmore vel quadratarii, vel potius Auctoris error ostenditur; eiusque caussa, & origo variis coniecturis inquiritur. Gravis Meursii, aliorumqae Scriptorum error in Crissensis excidii tempore, Pythici Agonis origine, Solonis aetate, & Simonis Archontis anno definiendo demonstratur*. Primam *Pythiadem* numeratam *in Olymp. XLIX. incidisse variis exemplis ex Pindarico Scholiaste petitis cum Scaligero, ac Dodvello probatur*. VI. *Opinionum varietas in definiendis Olympicis annis, quibus Pythiades celebrari consueverant, explicatur; Pythicosque Ludos a Scaligero quidem, ac Meursio in* tertios; *a Petavio autem, Dodvello, Petito, aliisque pluribus in* secundos *Olympiadum annos referri demonstratur; ut alii quidem* ineuntibus, *alii vero* exeuntibus *potius Olympicis annis Pythia concesserint*. VII. *Pythicos Ludos* tertiis *Olympiadum annis celebratos esse Pausaniae, Diodori, Eusebii, Oxoniensis Marmoris testimonio, simulque duarum Pythiadum exemplo ex Demosthene demonstratur*. VIII. *Exemplum aliud Pythiadis, quae in* tertium *Olympiadis annum inciderit, ex Aeschine profertur; ac verum tempus inquiritur, quo iudicium* de Corona *diremptum fuerit*. IX. *Sequioribus etiam temporibus Pythicos Ludos* tertiis *Olympiadum annis peragi consuevisse Pythiadis alterius exemplo ex Philostrato confirmatur*. X. *Id certius adhuc, & illustrius ex alia Pythiade a Xenophonte, & Plutarcho memorata, certisque temporum characteribus insignita deducitur*. XI. *Ipsam quoque Pythiadem a Thucydide memoratam, cui Petavii, Dodvellique sententia maxime innititur, non* secundo, *sed* tertio *solum Olymp. LXXXIX. anno celebratam esse ex ipso Thucydide demonstratur. Celebris ille Thucydidis locus hactenus obscurus contra Petavii, ac Dodvelli mentem exponitur, & illustratur*. *Petavii, Dodvelli, aliorumque Interpretum error ostenditur*. XII. *Argumenta singula, sive rationes, quibus Petavii, ac Dodvelli sententia defendi solet, dirimuntur. Pythiades non* ineuntibus, *sed* exeuntibus *potius, Olympicis annis instaurari consuevisse contra Scaligerum, & Palmerium demonstra-*

*ftratur*; *verufque ipfarum menfis, ac menfis dies cum Dodvello conftituitur*. XIII. *Certaminum feries, ac varietas exponitur, quae in Pythiis agebantur. Ipforum origo, vel inftitutio ex Paufania defcribitur; Pythicofque Ludos non uno, fed pluribus diebus peragi, vel abfolvi confueviffe innuitur*. XIV. *Pythia non Delphis folum, fed etiam Megaris, alibique celebrata fuiffe ex Scriptoribus, & Marmoribus etiam oftenditur. Delphicas vero Pythiades, antequam cum Olympicis Ludis una fublatae fuerint, nunquam* trietericas, *fed* pentaetericas *folum fuiffe contra Dodvellum afferitur*; *& ipfius error, aut inconftantia notatur*.

# DISSERTATIO III.

## NEMEA.

I. N*EMEORVM Ludorum cauffa, & origo, varii ipforum ritus, ac locus, corona Victoribus ex viridi apio conceffa ex Apollodoro, Scholiafte Pindari, aliifque Scriptoribus indicatur. Eadem quoque Nemeorum inftitutio, verumque ipfius tempus Oxonienfis Marmoris teftimonia confirmatur*; *eofque primum Archemoro, mox Iovi dicatos fuiffe obfervatur*. II. *Nemeacos Ludos facile Solonis aetate intercidiffe coniecturis afferitur. Ipfos Olymp. LIII. anno* I. *reftitutos effe ex Eufebio probatur, eiufque locus variis rationibus exponitur, ac illuftratur*. III. Primae *Nemeadis* numeratae *tempus inquiritur*; *ipfamque facile in Olymp. LXXII. incidiffe ex Pindari aetate accuratius definita conftituitur. Coronam Victoribus conceffam prius ex olea, mox autem ex apio viridi contextam fuiffe obfervatur. Nemeadis etiam tempus oftenditur, qua Sogenes a Pindaro, ac Mantheus ab eximio quodam Marmore memoratus victor fuit*; *eiufque Marmoris aetas cum Bimardo definitur, ac illuftratur*. IV. *Nemeades* trietericas *folum fuiffe*; *& ipfarum alias* aeftate, *alias* hieme *celebratas effe ex Paufania, aliifque Scriptoribus indicatur. Scaligeri, Petavii, Dodvelli, aliorumque fententia exponitur, qui* aeftivas *quidem Nemeades* tertiis; hibernas *vero* primis *Olympiadum annis redire, vel celebrari confueviffe contendunt*. V. Aeftivas *tamen Nemeades non* tertiis, *fed* quartis *folum, Olympiadum annis celebratas effe illuftri, certoque Nemea-*

*dis*

*dis exemplo demonſtratur, quae ineunte* quarto *Olymp. CXL. peracta fuit. Ambiguus Polybii locus exponitur, ac illuſtratur. Caſauboni error in definiendis Achaicorum, atque Aetolorum Praetorum annis oſtenditur; & accurata ipſorum ſeries ex Polybio contexitur. Inſignis Dodvelli error in definiendo Cannenſis proelii, ac Nemeadis huius anno demonſtratur.* VI. *Celebre Nemeadis alterius exemplum ex Polybio profertur, quae in* quartum *Oly. CXXXIX. ineuntem annum, adeoque ante Antigoni, Seleuci, & Ptolemaei Evergetis mortem, inciderit.* VII. *Verus annus oſtenditur, quo Regum illorum mors, & Cleomenis regis fuga contigerit. Res ab Arato geſtae, Cleomenici belli tempus, aliaque hiſtoriae capita contra Dodvelli ſententiam definiuntur, ac illuſtrantur.* VIII. *Variae rationes, & argumenta dirimuntur, quibus Dodvellus Cleomenici belli tempus conſtituit; ac Nemeades Cleomenici belli tempore celebratas in* primum, *ac* tertium *Olympiadis annum revocandas eſſe contendit.* IX. *Graviſſimum argumentum aliud ex Aſtronomorum Canone, ſive Thot Philopatoris a Dodvello deſumptum exponitur; atque ex eodem ipſo Aſtronomorum Canone confutatur. Verus Thot Philopatoris, eiuſque ſitus contra Dodvelli ſententiam inquiritur, ac demonſtratur. Alexandri Magni aetas, mortiſque tempus contra Scaligerum, ac Petavium definitur. Philippi Thot, adeoque celebris Aerae cardo, vel ſitus perſpicuis, certiſque characteribus conſtituitur; atque exinde Aſtronomicus Canon cum Polybio, Plutarcho, aliiſque Scriptoribus conciliatur.* X. *Nemeadem aliam Olymp. CXLII. anno* quarto *celebratam eſſe ex Livio demonſtratur; eiuſque error in Romanis Conſulibus, ac Olympicis annis invicem committendis cum Petavio indicatur.* XI. *Alterius etiam Nemeadis exemplum, quae ineunte* quarto *Oly. CXLIII. anno peracta fuit, ex Plutarcho profertur. Machanidae tyranni caedes, Nabidis initium, Mantinea pugna, Lyſippi Praetoris annus, aliaque Graecae Hiſtoriae capita hactenus obſcura, vel incerta ſuis accurate temporibus adſcribuntur, ac illuſtrantur.* XII. Hibernas *Nemeades in* ſecundos *Olympiadum annos incidiſſe ex Diodoro demonſtratur; eiuſque auctoritas contra Scaligeri, Petavii, ac Dodvelli ſententiam aſſeritur, & confirmatur.* XIII. *Singula Nemeadum exempla, quibus Scaligeri, Petavii, ac Dodvelli ſententia innititur, excutiuntur, & ordine refelluntur. Inſignis Livii locus, ac Nemeadis ab illo memoratae tempus contra Dodvellum exponitur*

*tur, ac illustratur.* XIV. Aestivas *Nemeades duodecima Panemi mensis die celebratas esse ex Pindarico Scholiaste demonstratur. Panemum hunc neque Argolicum, neque Macedonicum fuisse contra Dodvellum ostenditur, eiusque argumenta dirimuntur. Depravatus quidam Demosthenis locus indicatur, ac restituitur. Panemum ipsum Corinthiis potius, quam Populis aliis, adscribendum esse probatur; simulque tamen ratio indicatur, qua fortasse Macedonicus esse potuerit.* XV. *Scaligeri error in explicando quodam Pindarici Scholiastae loco, atque* aestivarum *Nemeadum mense definiendo demonstratur. Dodvelli quoque calculus, & explicatio refellitur. Insignis ille Scholiastae locus depravatus ostenditur, restituitur, ac illustratur; verumque Tlepolemiorum Festorum tempus definitur.* XVI. *Delphinii Aeginetarum mensis situs inquiritur; ipsumque non Attico Metagitnioni, ut putavit Dodvellus, sed Hecatombaeoni respondisse demonstratur. Nemeacos Ludos nunquam* annuos *evasisse; sed ipsa quoque Iuliani Caesaris aetate* trietericos *fuisse contra Fabrum, & Prideauxium ostenditur. Iuliani Caesaris locus, fortasse mutilus, tentatur, coniectura restituitur, & contra Fabri sententiam exponitur. Gruteri Marmor emendatur, ac illustratur. Hereorum Festorum ritus describitur, verumque ipsorum tempus constituitur.*

# DISSERTATIO IV.

## ISTHMIA.

I. I*STHMIACOS Ludos primum a Sisypho in Palaemonis, ac Leucotheae honorem institutos, iterum a Theseo celebratos, ac Neptuno dedicatos fuisse Pindarici Scholiastae, Plutarchi, & Oxoniensis Marmoris testimonio indicatur. Maxima tamen opinionum varietas innuitur, ac verisimilior eligitur. Coronam Victoribus concessam prius ex pinu, deinde ex apio, iterumque ex pinu contextam fuisse ex Pindaro, & Plutarcho probatur; adeoque dissidentes Scriptorum sententiae conciliantur.* II. *Isthmiades non* annuas, *ut Suidas, aut* pentaetericas, *ut Ausonius, ac Plinius existimarunt; sed* trietericas *solum fuisse ex Pindaro, aliisque Scriptoribus demonstratur. Ipsas Cypselidarum quoque temporibus celebratas esse contra Solinum, Eusebium, & Scaligerum ex Pausania, Laertio,*

&

*& Plutarcho ostenditur. Eas tamen Olymp. IL. splendidius peragi coepisse, ideoque veluti instauratas esse observatur*. III. *Isthmiades* primis, *ac* tertiis *Olympiadum annis redire, vel celebrari consuevisse cum Scaligero, Petavio, ac Dodvello asseritur; easque in duodecimam Hecatombaeonis Attici diem incidisse praeclara Dodvelli coniectura statuitur. Isthmiades tamen non Carnio, vel I. vel II. sed Panemo solum Corinthiorum mense celebratas esse; Panemumque ipsum non Boedromioni, sed Hecatombaeoni solum Attico respondisse contra Dodvellum ostenditur*. IV. *Certius adhuc, & illustrius argumentum aliud affertur quod Isthmiaci Ludi eadem ipsa, qua Nemeaci, adeoque duodecima Corinthii Panemi, vel Hecatombaeonis Attici die celebrarentur: iterumque Scaligeri sententia de Nemeaco, atque Olympico Macedonum mense, ac Nemeadum die impugnatur*. V. *Isthmiades alias non* hieme, *ut putavit Dodvellus, sed exeunte* vere *post Pythia celebratas esse perspicuo Xenophontis, & Plutarchi testimonio, sive Isthmiadis exemplo demonstratur, quae exeunte fere anno* tertio *Olymp. XCVI. peracta fuit*. VI. *Dodvelli error in definiendo Isthmiadis huius anno, vel tempore demonstratur; simulque maxima in Xenophontis historia perspicuitas, atque connexio defenditur*. VII. *Hic ipse verus Isthmiadum* vernarum *situs ex Hyacinthiorum Festorum tempore Xenophontis, & Pausaniae auctoritate deducitur. Hyacinthia Festa Thargelione mense celebrari consuevisse ex Thucydide cum Dodvello observatur; eiusdemque Dodvelli in definiendo Hyacinthiorum, ac Isthmiorum tempore error, & inconstantia notatur*. VIII. *Constans ille Isthmiadum, Pythiadum, ac Nemeadum situs, atque ordo eximio Demosthenis loco, sive Byzantinorum Psephismate, confirmatur. Verum tempus ostenditur, quo Perinthus, ac Byzantium obsessum fuit; ac Diodori locus explicatur*. IX. *Celebris ille Aristotelis locus, qui Petito, ceterisque facile imposuit, contra Petiti, ac Dodvelli mentem exponitur, ac illustratur; atque exinde quoque* vernarum *Isthmiadum tempus confirmatur. Isthmiades quidem* trietericas, *Pythiades vero* pentaetericas *semper fuisse contra Dodvellum asseritur; eiusque error, & inconstantia observatur*. X. *Asclepiorum tempus hactenus incompertum ex Pindarico Scholiaste, & Platone constituitur. Illa non* aestate, *sed* vere *potius, peragi consuevisse contra Dodvellum ostenditur. Non* maiora *solum, sed etiam* minora *Panathenaea Hecatombaeone mense Athenis celebrata fuisse*


*con-*

*contra Meursium, ac Dodvellum asseritur. Athenis etiam Asclepia Festa celebrari consuevisse nunc primum ex Aeschine probatur; ipsorumque dies constituitur.* XI. *Isthmiorum celebritatem usque ad Iuliani Caesaris aetatem viguisse perspicuo quoque Libanii testimonio confirmatur. Antiochenae quoque Olympiades, earumque tempus, & cardo ex Malelae historia iam constitutus ex Libanio ipso contra Van-Dalium asseritur.* XII. *Athleticum quoddam Marmor exhibetur, ac illustratur. Quid* Periodi, *ac* Periodonicae *nomine intelligatur perspicuo Festi loco, variisque exemplis ostenditur.* XIII. *Insigne Marmor aliud profertur, eiusque aetas inquiritur, ac definitur. Marmor ipsum alicubi restituitur, & illustratur. Augustalia Certamina Pergami, & Neapoli celebrata indicantur.* XIV. *Olympia quoque, sive Olympiadas Neapoli celebrari, atque Elidensium instar numerari consuevisse nunc primum ex Marmore hactenus inedito demonstratur. Marmor ipsum subiicitur, exponitur, ac illustratur. Olympiades illas ab Augustalibus minime distinguendas esse coniecturis asseritur. Prima harum Olympiadum institutio hactenus incomperta definitur.*

Sequitur Olympionicarum, Pythionicarum, Nemeonicarum, atque Isthmionicarum Catalogus alphabetico ordine dispositus.



DIS-



# DISSERTATIO I.

## OLYMPIA.



| | |
|---|---|
| 'Ιδ' Α"εθλα γαρύεν | *Si Certamina narrare* |
| Ε"λδαι, φίλον ἦτορ, | *Cupis, care anime* mi, |
| Μηκέθ' ἀλίῳ σκόπει | *Ne amplius Sole contempleris* |
| Α"λλο θαλπνότερον | *Aliud ſplendidius* |
| Ε'ν ἀμέρᾳ φαεινὸν ἄςρον | *Interdiu lucens aſtrum* |
| Ε'ρήμας δι' αἰθέρος· | *Per deſertum aether*; |
| Μηδ' Ο'λυμπίας Α'γῶνα | *Nec Olympico Certamine* |
| Φέρτερον αὐδάσομεν. (1) | *Praeſtantius* aliud *dicemus*. |

Ita Pindarus optime elegantiſſimeque maximam Olympicorum Ludorum gloriam, atque praeſtantiam expreſſit: cumque Hieronicas, aut victores illos, quos in celeberrimis quatuor Graeciae Ludis, *Olympiis* nimirum, *Pythiis*, *Nemeis*, atque *Iſthmiis* virtutis ardor, palmaque nobilis Terrarum dominos evexerat ad Deos, aureis carminibus celebrandos ſuſciperet, non aliunde ſibi, quam ab Olympicis, incipiendum eſſe putavit. Atque ita propemodum mihi quoque de quatuor Ludis illis, ſimulque tempore, quo ipſorum quilibet veteri conſtantique ritu peragebatur, meliori quo poterit ordine loquuturo, ab Olympicis ipſis exordiri nunc libet; qui ceteros omnes ſplendore, atque incredibili frequentia longiſſime ſuperabant. Etenim, ut praeclare a Pindaro ipſo, Pauſania, ceteriſque dictum accepimus, Olympiorum celebritas non peculiare quoddam Elidenſis Populi, ſed commune potius, ac veluti patrium univerſae Graeciae Feſtum haberi conſueverat; ut proinde Graecarum Civitatum ſingulae non modo ſpectatum



(1) Olymp. I. ver. 5.

ſuis veluti e ſedibus exilirent; ſed augendo quoque ipſorum ſplendori plurima certatim conferrent, ut opportune mox oſtendetur. Maxima deinde Ludorum, ſive certaminum varietas, quae in Olympicis ipſis invecta fuit, auguſta Iovis Olympii aedes, incredibilis Statuarum numerus, magnificus Olympicae arenae, theatrique ſplendor, maximus Athletarum ardor, denique victorum gloria, quam Cicero ſplendidioribus Romanorum triumphis comparandam eſſe putaverat, intuentium oculos, animumque ita percellere conſueverunt, ut nihil illuſtrius, ſplendidius nihil, nihil denique magnificentius non in Graecia ſolum, ſed in univerſo quoque terrarum orbe ſpectari poſſe merito videretur. Sed haec, aliaque id genus plurima Olympiorum decora, quae facile ex Pindaro, Pauſania, ceteriſque Graeciae Scriptoribus afferri poſſent, hic nihil moror; non modo quod a Fabro, aliiſque innumeris accuratiſſime expoſita, ac illuſtrata iam fuerint; verum etiam quod ab operis, inſtitutique mei ratione prorſus abhorreant. Id unum potius addidiſſe iuverit Olympicos Ludos ceteris Graeciae Feſtis hac etiam in parte maxime excellere, quod ex iis veluti fontibus perſpicua, atque certiſſima temporum ſeries uberrime deducatur; ipſorumque praeſidio praeteritarum rerum hiſtoria, quae mirifice implexa foret, accuratiſſime digeri, diſponique poſſit: ut nihil proinde inſtaurandae, illuſtrandaeque temporum doctrinae utilius excogitari, vel optari unquam potuerit, quam ut res aliqua praeclare geſta Olympicis annis, veluti characteribus luminibuſque, exornata reperiatur.

II. Sed maxima haec tamen, atque admirabilis perſpicuitas, ſimulque certa temporum ſeries ex prima Olympiorum origine repeti, ſive deduci non poteſt. Etenim quis omnium primus celeberrimos Ludos illos inſtituerit, quae vera ipſorum cauſſa, & origo cenſeri debeat, in tanta rerum obſcuritate, veterumque Scriptorum diſſidio definiri certe vix poterit. Communis eſt tamen, longeque veriſimilior opinio, quod Olympici Ludi ab Hercule primum peracti, vel celebrati fuerint anno P. I. 3507. (1) poſtquam Augeam Elidis Regem ſuperaverat. (2) Ipſorum tamen celebritatem Troiani belli temporibus excidiſſe exinde quoque deduci poterit quod Homerus ipſe, qui obſcuriores Agones alios accurate deſcripſit, nullam de Olympiis, ipſo-

(1) Petav. Doctr. Temp. Libr. IX. c. 41. (2) Diod. Lib. IV. Pindar. Olymp. K. ver. 20. & 31.

ipsorumque Victoribus mentionem iniecerit. Itaque Iphitus, quem Pausanias [1], & Aristoteles [2] Lycurgi temporibus vixisse memorant, Olympicos Ludos intermissos fere, atque obsoletos instauravit; quamvis illi vel repente mox deseri, vel obscurius peragi post Iphitum consueverint, ut proinde Olympiades illae post Iphitum incertis fortasse, variisque temporibus celebratae, numeratae non fuerint. Hinc Olympias omnium prima, a qua veluti cardine ceterae mox insecutae numerari, vel Olympicorum annorum series supputari coeperunt, est illa, qua Coraebus Eleus palmam retulit; illa nimirum, quae post 112. annos, hoc est 28. Olympiadum spatium Olympiadem ab Iphito celebratam est insecuta, ut perspicuo Phlegontis [3] testimonio erudimur.

III. Quamvis autem in definiendo huius Olympiadis situ doctissimi quoque Viri aberraverint; nihil tamen certum adeo, atque exploratum esse unquam poterit, quam primam Olympiadem illam, qua Coraebus palmam retulit, anno P. I. 3938. celebratam esse; ut proinde vulgaris Christi nativitas in annum 4. Olymp. CXCIV. hoc est medium fere olympicum annum 776. inciderit. Etenim primus olympicus annus a Solstitio aestivo incepit anno P. I. 3938. [4] adeoque annus iste, quo scribimus, atque a vulgari Christi nativitate 1746. censetur, esse debet 2522. olympicus, hoc est 2. Olymp. DCXXXI. a proxime superiori Solstitio aestivo inchoatus. Ac Olympicos certe Ludos aestate, vel circa Solstitium aestivum veteri constantique lege peragi consuevisse pluribus, certisque Veterum testimoniis, & exemplis etiam erudimur, quae Scaliger [5], Petavius [6], Dodvellus [7] accuratissime collegere; idque temporibus etiam illis obtinuisse, quibus Romani, solaresque menses a Graecis usurpati iam fuerant, Scaliger, & Dodvellus ostendit, qui Olympicos Ludos Statii aetate peractos [8] in medium Iulii mensis incidisse perspicuis oppido certisque characteribus demonstravit. Antequam tamen recentior illa solaris anni forma a Romanis in Graeciam invecta foret, Olympici Ludi non alia, quam Lunae, periodo definiri consueverant; ut quemadmodum nempe civilis ac popularis annus eiusque menses lunares erant, ita quoque



(1) In Eliac. I. (2) Apud Plutar. in Lycurgo vid. Athen. Libr. XIV. (3) De Olympiis. (4) Vid. Petav. Doctr. Temp. Lib. IX c. 44. 45. (5) De Emend. Temp. Libr. IV. pag. 242. (6) Doctr. Temp. Libr. IX. c. 48. (7) Dissert. IV. Sect. 14. (8) Silvar. IV. 4.

civilia Festa, quae, Gemino teste, [1] sacra constantique lege *κατὰ τρία, καὶ ἐνιαυτὸς, καὶ μῆνας, καθ' ἡμέρας*, *secundum tria*, nimirum *secundum annos*, *secundum menses*, *secundum dies* peragi debebant, ex ipsa Lunae periodo deducebantur. Olympicos autem Ludos plenilunii tempore celebratos esse perspicuo Pindari testimonio [2] probavit Scaliger; idque facile variis Olympiadum exemplis ostendi posset, quibus aperte colligitur plenilunium ipsum aliquando ex phasibus, aliquando vero ex civilium mensium cardine, vel Cyclorum periodo definitum esse, [3] ut inferius etiam demonstrabitur. Itaque id unum clarissimis Viris illis explorandum supererat quonam Cyclo, sive Periodo in Olympicis Ludis rite legitimeque indicendis Elidenses uti consueverint, adeoque quo civilis Elidensis anni mense Olympia redire, vel instaurari consueverint.

IV. Magnus, atque immortalis Scaliger, [4] qui omnium primus veram Chronologiae illustrandae facem extulit, id ex pulcherrimo Pindarici Scholiastae loco se deprehendisse putavit; qui ad Olympiacam III. adnotaverat *γίνεται δὲ ὁ Ἄγων ποτὲ μὲν διὰ τεσσαράκοντα ἐννέα μηνῶν, ποτὲ δὲ διὰ πεντήκοντα. ὅθεν καὶ ποτὲ μὲν τῷ Ἀπολλωνίῳ μηνὶ, ποτὲ δὲ τῷ Παρθενίῳ ἐπιτελεῖται*: *fit autem Agon quandoque quidem post* elapsos *quadragintanovem menses*; *quandoque vero post quinquaginta*: *unde interdum quidem Apollonio mense*, *interdum vero Parthenio celebratur*. Hinc Olympicam quandam Tetraeteridem Scaliger subtiliter excogitavit, in qua Ludorum celebritas, si ad civiles, ac populares annos, quos Scaliger ipse solares esse iam dixerat, referatur, in unum semper eundemque prorsus Elidensium mensem incideret; sin vero ad arcanum alium, vel ut appellat ipse, *πρυτανείας* *Prytaniae* annum revocetur, quem lunarem esse contendit, modo in unum, modo in mensem alium incurrat: ibique Scholiastem de *Prytaniae*, sive obscuriori mensium genere loquutum, ac intelligendum esse arbitratur. Petavius, qui Scaligeri hypothesim de solarium, lunariumque mensium discrimine erudite, simulque tamen acerbius exagitavit, Olympicos Ludos primo Elidensis, aut Olympicae, simulque Atticae Periodi mense celebratos esse putavit; [5] cumque Scaliger mensis illius initium semper post aestivum

(1) In Isagoge c. de Mensib. (2) Olymp III. vers. 35. & ver. 90. (3) Dodw. Diss. IV. Sect. 2. (4) De Emend. Temp. Lib. I. pag. 36. (5) Doctr. Temp. Lib. I. c. 24. & IX. c. 48.

vum Solſtitium incidiſſe velit, Petavius longe veriſimilius exiſtimat neomeniam illam aliquando ante Solſtitium contigiſſe ; [1] ut nimirum olympica neomenia cenſeretur illa, quae Solſtitii cardini proximior eſſet [2], ſive Solſtitium ipſum praecederet, ſive aliquando proxime conſequeretur. Denique Dodvellus ipſe, qui in contexendis explicandiſque civilibus Elidenſium Cyclis ceteros omnes induſtria ſuperavit, quamvis *Apollonium* ac *Parthenium* menſem ad Delios fortaſſe revocari poſſe coniecerit, qui *Apollinem*, ac *Dianam* in Delo natos hiſce menſium nominibus honorare, vel deſignare voluerint [3], Scaligeri tamen hypotheſim libentius amplectitur, qui menſes illos ab Elidenſibus uſurpatos eſſe putavit. Ea vero de cauſſa Ludos Olympicos aliquando quidem *Parthenio*; aliquando vero *Apollonio* menſe celebratos eſſe contendit quod Elidenſes ipſi ante receptam Metonis Enneadecaeteridem civiles ac lunares annos in Octaeteride quadam diſponerent, quae tres embolimos proinde menſes admitteret; adeoque *tertium*, *quintum*, & *octavum* annum embolimaeos complecteretur [4]. Itaque, cum primus Octaeteridis huius annus, ex Dodvelli hypotheſi, in olympicum annum inciderit, in prima Tetraeteride embolimus unus haberi poterat; adeoque Olympici Ludi peracto 49. menſium ſpatio redire, vel inſtaurari debebant. At Tetraeteris illa, vel altera Octaeteridis pars, quae proxime conſequebatur, duos embolimos habere debuit; adeoque Ludi nonniſi poſt 50. menſium tempus inſtaurari peragique poterant. Quandoquidem vero Scholiaſtes aſſerit quod ubi peractis 49. menſibus Olympici Ludi redibant, *Apollonio* menſe committebantur: ubi vero poſt 50. menſes inſtaurabantur, in *Parthenium* incidebant, in civilibus Elidenſium annis duodecimum poſtremumque menſem *Apollonii* nomine deſignatum eſſe putavit Dodvellus, *Parthenii* vero nomine menſem embolimum indicari. Quamvis enim apud Athenienſes embolimus menſis non alio, quam *Poſideonis* II. nomine vocaretur; atque Agrigentini embolimum menſem illum, qui *Carnio* coniungebatur, Carnium II. ſive διμῆνα Καρνεῖον *bimeſtrem Carnium* appellare conſueverint; fieri tamen profecto poterat ut Elidenſes embolimum additumque menſem non *Apollonii* II. ſed *Parthenii* potius nomine deſignaverint; quemadmodum fore Romanis menſis embolimus non *Februarius* II. ſed *Merkedonius* di-

(1) Lib. I. c. 12. (2) Lib. IX. c. 42. (3) Diſſert. IV. Sect. 13. (4) Sect. 4.

dicebatur. Itaque, cum in priori Octaeteridis parte, sive Tetraeteride, embolimus mensis ille, qui unicus in ipsa fuerat, in *tertium* ipsius annum incideret, ultimus Tetraeteridis, vel Olympiadis annus communi solum, adeoque *Apollonio*, mense desinebat; in altera vero Octaeteridis parte, quae *quintum* & *octavum* annum embolimos, adeoque 50. menses, habere debuit, postremus annus in embolimo, vel *Parthenio* mense exibat; [1] ut Olympici proinde Ludi, ex perspicua Octaeteridis huius periodo vel Cycli lege, alterne Apollonio, Parthenioque mense celebrari debuerint. [2] Recepta vero Metonis Enneadecaeteride, quod suis certe temporibus iam factum esse Scholiastes ipse significat, non *alterne* quidem, sed ποτὲ *aliquando* solum post 49. ποτὲ *aliquando* vero post 50. menses Olympia redire debebant: iuxta varios embolimi mensis situs, quos ex Petavii, Dodvellique hypothesi opportunius alibi exposui. [3]

V. Atque hactenus quidem elegantissima, simulque, ut ingenue fatear, verisimillima Dodvelli hypothesis in explicanda Periodo, qua solemnis illa Olympiorum celebritas ex Scholiastae calculo instaurari, variisque subinde Elidensium mensibus celebrari consueverit. Si quidpiam tamen clarissimo, atque immortali Viro reponere; & coniecturis coniecturas alias opponere hic liceat, nonnulla sunt certe, quae in pulcherrima ipsius hypothesi reprehendi, corrigique posse putaverim. Ac initio quidem quod Apollonium, Partheniumque mensem, si fortasse civilibus Elidensium annis adscribi non debeant, ad Delios potius, quam Graecos alios, referendos esse putavit, perspicue fallitur. Etenim Delios ipsos non aliis, quam Atheniensium, mensibus Pindarici Scholiastae temporibus usos esse demonstrat eximium Marmor illud, quod opportunius alibi [4] exposui, ubi *Gamelionis* mensis nomen occurrit. Ita propemodum in altero Deliorum Psephismate, quod ex Iosepho [5] iam protuli [6], *Thargelionis* mensis nomen exprimitur; ut iis proinde temporibus, quibus Delii vel Atheniensium, vel Romanorum imperio subiecti fuerant, civiles etiam Atheniensium menses usurpaverint; adeoque Apollonius, Partheniusque mensis ad Delios ipsos immerito referatur. Sed haec leviora sunt certe, quam ut in do-

ctis-

(1) Sect. 13. (2) Sect. 9. (3) Fast. Attic. Dissert. II. num. 29. (4) Fast. Attic. Dissert. VIII. num. 32.
(5) Antiqu. Iudaic. Lib. XIV. c. 10. (6) Dissert. X. num. 10.

ctissimo Viro ad alia properanti fusius hic corrigi, refellique debeant. Quid vero quod elegans illa Dodvelli hypothesis eam nobis in civilibus Elidensium annis Periodum exhibet, in qua Olympiorum celebritas non in primum, sed in postremum potius, civilis anni mensem, quodque etiam gravius censeri facile poterit, in embolimum additumque mensem incideret? Quis vero fieri potuisse existimet ut civilis Elidensium annus, hoc est primus ipsorum mensis, non ab Olympicis Ludis ipsis, vel novilunio, quod proxime Ludos praecesserat; sed a proximo potius post Olympicos Ludos novilunio duceretur? solemnis illa Ludorum celebritas ad extremos solum civilis anni dies protruderetur? Olympicus mensis non uno semper eodemque nomine, sed diverso vocaretur? ipsa denique Octaeteris illa, quae ab Elidensibus instituta fuerat, non a Ludorum initio, olympicoque mense, sed a proximo potius, vel insequente procederet? Certe Scaliger in civilibus Elidensium annis mensem illum *primum* esse putavit, [1] in quem Olympici Ludi inciderent; novosque Olympicos annos incepisse docet *neomenia sequentis Hecatombaeonis Attici, aut primi mensis Elidensis, sive Olympici, cuius nomen ignoramus* [2]: quamvis huius opinionis immemor, sibique non constans alibi dixerit *Eleos initium prisci anni a bruma, Ludicrum autem Olympicum a diebus aestivis iniisse*: [3] perinde quasi in civilibus Elidensium annis, ipsorumque principio varietas aliqua invecta fuerit; quod nullo tamen Veterum testimonio a Scaligero probatum esse conspicimus. Hic ipse quoque Elidensis anni cardo a Petavio constituitur [4]; nihilque verisimilius esse unquam poterit, quam olympicos, aut Elidenses annos ab ipso Olympiorum mense incepisse. Hinc optime accurateque Dodvellus ipse iam dixerat quod *a novilunio post Solstitium proximo Elidensis anni initium erat repetendum*; [5] atque *Olympiadum anni, saltem apud* Elidenses, *non* a civili Plenilunio, *qui dies erat Ludorum ultimus, mensis autem civilis decimus sextus, supputandi sunt*; *sed a die mensis illius primo, qui mensis erat etiam apud illos civilis anni primus*; [6] quamvis huius hypothesis immemor sibique repugnans, ut ambiguum illum Pindarici Scholiastae locum exponeret, Octaeteridem illam exco-

(1) Pag. 37. (2) Pag. 39. (3) Lib. IV. Pag. 299. (4) Doctr. Temp. Lib. I. c. 12. & 15; (5) Sect. 3. (6) Sect. 2. sic etiam Sect. 11.

cogitaverit, in qua civiles Olympiadum anni non ab olympico mense; sive a novilunio, quod proxime Ludos ipsos praecederet; sed ab alio potius, quod Olympicos Ludos proxime consequeretur, inciperent; adeoque cum *verum ultimi mensis nomen fuerit* Apollonius, Embolimi *autem* Parthenius . . . . *in* Octaeteridis *priori* Tetraeteride quartus *annus in mense ultimo* communi *exiret* Apollonio; *posteriori autem* Tetraeteride *ultimus mensis erat* embolimus, *atque adeo* Parthenius. (1) Quod si vel a primis usque temporibus, quibus Olympiades in Chronologia adhiberi, vel numerari coeperunt, ac certa quaedam Periodus, quaecumque demum ea fuerit, ab Elidensibus inventa fuit, primus ipsorum mensis non alius esse videtur, quam mensis ille, quo Olympici Ludi peragerentur, id certe facilius longeque verisimilius admitti debet ubi recepta Metonis Enneadecaeteride Elidenses etiam, ut optime Dodvellus ipse iam viderat (2), eadem prorsus Periodo, eodemque Cyclo cum Atheniensibus uti coeperunt. Itaque, sicuti in civilibus Atheniensium annis, non Panathenaea solum, sed Olympici quoque Ludi semper in unum eundemque civilis anni mensem, hoc est *Hecatombaeonem* omnium primum constanter incidebant; ita quoque in civilibus Elidensium annis Olympia semper uni eidemque, atque omnium primo mensi tributa videntur: ut embolimorum quidem ope interdum post 49. interdum post 50. menses illa redirent; sed semper tamen in unum idemque civilis anni caput, sive principium inciderent.

VI. Haec aliaque id genus plura, quae facile nunc addi possent, satis, ut opinor, ostendunt *Apollonium*, ac *Parthenium* mensem, qui a Pindarico Scholiaste, veluti menses *Olympici*, memorantur, ad Elidenses referri, sive civilibus Elidensium annis inseri, vel accenseri non posse. In tanta vero rerum obscuritate, veterumque Scriptorum silentio quis facile certoque nunc dixerit cuinam Genti menses illi concedi debeant? qua lege, sive Periodo incognitae Gentis annus constitui, contexique possit, ut Olympici Ludi modo in *Parthenium*, modo in *Apollonium* ipsius mensem inciderent? Facile id ego quidem acutioribus aliis explorandum ac divinandum relinquo; tenuesque solum coniecturas quasdam hic proferam, quibus & Scholiastae locus exponi, & mensium

(1) Sect. 13. (2) Dissert. IV. Sect. 11.

ſium illorum patria, ut ita dixerim, divinando coniici fortaſſe poſſit. Itaque primum ſuſpicor menſes illos non alterius, quam Gentis, vel Vrbis eius fuiſſe, ex qua Pindaricus Scholiaſtes ille prodierat: ut is proinde verum Olympiadum tempus exprimere, vel definire volens non Elidenſes, ſed patrios potius, notioreſque menſes, quibus Olympici Ludi peragebantur, expreſſerit. Suſpicor etiam in Scholiaſtae patria non antiquam Elidenſium Octaeteridem, ſed Metonis Enneadecaeteridem obtinuiſſe: non modo quod ipſius verba, licet obſcurius, id, Dodvello teſte, ſignificent; verum etiam quod Enneadecaeteris illa, ex Diodoro (1), apud omnes fere Graecas Gentes recepta, ac feliciter uſurpata fuerit; praeſertim vero quod Scholiaſtes ipſe in definiendo Nemeorum, Iſthmiorumque tempore Metonis Periodum prae oculis habuiſſe videatur, ut ſuis in locis opportunius mox oſtendetur. Exinde vero perſpicue deduci poterit quod alteruter ex menſibus illis *embolimus* eſſe debet. Etenim, ſi uterque *communis* eſſet, atque embolimus proinde menſis in ſitum alium incideret, pentaetericum Feſtum illud, quod *Apollonio* menſe prius peractum fuerat, iterum non alio, quam *Apollonio*, menſe redire vel inſtaurari debuiſſet: cum ex Metonicae Periodi legibus pentaetericum Feſtum illud aliquando quidem poſt 49. aliquando vero poſt 50. menſes, inſertis opportune embolimis, redire; ſed a civili tamen menſe, cui affixum iampridem fuerat, dimoveri non poſſit. Itaque in hypotheſi longe veriſimillima quod in Scholiaſtae Patria embolimus menſis in extremum civilis anni locum coniici, vel adiungi conſueverit, ſi poſtremus anni menſis, ſive in communibus annis *Apollonius*, ſive in embolimaeis *Parthenius* is fuerit, ſemper in Olympicum, adeoque Hecatombaeonem Atticum, menſem incidiſſe debuit, manifeſtiſſime inferri poterit quod primus anni menſis cum Metagitnione Attico coniungebatur. Hinc facile ſuſpicari quis poterit quod civiles anni apud Gentes illas ab ortu Caniculae veluti cardine deducebantur; ut quemadmodum menſis olympicus, vel Elidenſium, aut Athenienſium *primus*, a proximo poſt aeſtivum Solſtitium novilunio incipiebat, ita quoque primus Scholiaſtae menſis a novilunio inceperit, quod exortum Caniculae proxime inſequebatur; adeoque, cum ortus Caniculae in primam Metagitnionis Attici diem incideret,

B ut

(1) Lib XII. c. 36.

ut in Attico Parapegmate lunari notavit Scaliger, [1] primus Scholiastae mensis cum Attico Metagitnione coniungebatur. Fieri tamen fortasse etiam potuit ut ab autumno, Aetolorum, vel ab hyeme, Thebanorum instar, civilis anni initium Gens illa duxerit; quamvis alio prorsus in loco embolimum mensem insereret: quemadmodum fere Athenienses, quamvis Posideonem II. velut *embolimum* retinerent, civiles tamen annos post Olympiadem LXXXVII. sive institutam Metonis Enneadecaeteridem, ab Hecatombaeone mense auspicabantur. Embolimi tamen mensis situs ostendit quod civilis annus vel Scholiastae ipsius aetate, vel antiquioribus saltem temporibus, ab Attico Metagitnione, sive ab ortu Caniculae ducebatur.

VII. Quis vero coniicere vel divinare nunc possit cui nam Genti Pindaricus Scholiastes ille concedi debeat; quinam Populus civiles annos ab ortu Caniculae, sive ab Attico Metagitnione mense exordiri consueverit; cui denique Urbi *Parthenius*, ac *Apollonius* mensis ille non alteri, quam Pindarico Scholiastae, memoratus adscribi possit? Nihil hic certe in tanta rerum obscuritate, veterumque Scriptorum silentio definiri posse conspicio. Si tamen aliquis in re difficillima coniecturae locus hic esse potest, illud imprimis observari posse putaverim quod Caniculae exortus ab Aegyptiis accuratissime notari, vel explorari consueverat, ut exinde Aegyptii suos ὥρας, sive civilis anni quadrantes, auspicarentur; unde Canicula, sive Σῶθις exoriens, *erat ipsis cursus solaris Epocha*. [2] Sed, ut exteras Gentes illas, quibus Apollonius, Partheniusque mensis adscribi certe non poterit, praeteream, testatur Manilius primum Caniculae exortum a Cilicibus observatum esse:

*Hanc qui surgentem, primo cum redditur ortu,*
*Montis ab excelso speculantur vertice Tauri,*
*Eventus frugum varios, & tempora dicunt.* [3]

Ita propemodum *Ceos accepimus*, ut Tullii verbis utar, *ortum Caniculae diligenter quotannis solere servare, coniecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, an pestilens annus futurus sit.* [4] Quid igitur prohibet quin Cilices, aut Cei non coniecturas solum, atque praesagia, sed vertentis etiam anni principium ab or-

(1) De Emend. Temp. Lib. IV. Pag. 249. (2) Scalig. Emend. Temp. Lib. III pag. 195. (3) Lib I.
(4) De Divinat.

ortu Caniculae duxerint? Cur Apollonius Partheniusque mensis, veluti Apollini, Palladique sacer, a Cilicibus, aut Ceis ipsis usurpatus existimari non poterit: cum praesertim Deos illos Cei eximio quodam cultu prosequerentur, Straboneque teste prope Corissiam, & Poeeessam Cei urbes Σμινθίω Α'πόλλωνος *Sminthii Apollinis*, atque Poeeessae Νεδυσίας Α'θηνᾶς *Nedusiae Palladis* Templum foret? (1) ac Pindarus ipse dixerit

Καὶ τὸν ἀκειρεκόμαν Φοῖβον χορεύων
Ε'ν Κέῳ ἀμφιρύτῳ σὺν ποντίοις
Α'νδράσιν (2)
*Et intonsum coma Phoebum saltando celebrans*
*In Ceo circumflua cum maritimis*
*Viris*

quod nimirum a Ceis, Deliorum instar, Apollo coleretur. Cur denique Scholiastes ille vel ad Ciliciam, vel ad Ceon veluti patriam revocari fortasse non possit, ex qua Simonides, Bachylides, aliique plurimi Poeticae artis studio, sapientiaeque gloria celebrati prodiere; quemadmodum Cilicia Oppianum, atque Aratum ipsi Scholiastae Pindarico memoratum protulerat? Sed haec omnia tamen coniiciendo solum, ac divinando fere nunc dixerim; cum indicia singula, vel characteres illi, quos protuli, non potius ad Cilices, aut Ceos, quam ad celebres alios Graeciae Populos, transferri facile possint, qui eodem civilis anni cardine, iisque mensibus usi fuerint, quos Pindaricus Scholiastes expressit. Illud etiam accedit quod clarissimum Italiae, Pisanaeque Academiae nostrae decus Norisius (3) non alios a Cilicibus, quam Syro-Macedonum, menses usurpatos esse putavit: ut proinde facile suspicari quis possit *Parthenium*, atque *Apollonium* mensem Scholiasti Pindarico memoratum ad Cilicas ipsos referri non posse. Norisius, ut civiles illos Cilicum menses ostenderet, Gruteri Marmor (4) Scaligero (5), Petavioque (6) laudatum exhibet, in quo legitur Eusebiam ἀπὸ Κώμης Α'δάνων obiisse ἐν ὑπατείᾳ Ο'νωρίω τὸ Η. κ̀ Κωνςαντίνω τὸ Α. μηνὶ Πανήμω ΙΒ. ἡμέρᾳ *ex Vico Adanorum... in Consulatu Honorii VIII. & Constantini I. mense Panemo* 12. *die*. Itaque, concludit Norisius, anno Chr. 409. quo Honorius octavum Consulatum gessit, Adanenses, adeoque Cilices

 om-

(1) Lib. X. (2) Isthm. I. vers. 8. (3) De Epoch. Syro-Maced. Dissert. IV. c. 2. (4) Pag. 1052. 6.
(5) De Emend. Temp. Lib. V. Pag 516. (6) Doctr Temp. Libr. II. c. 46.

omnes Panemo, aliisque Syro-Macedonum mensibus utebantur. Quamvis autem haec maximam veri speciem praeseferant, non inde tamen perspicue certoque inferri posse putaverim Cilicas omnes Syro-Macedonum mensibus semper uti consuevisse. Fieri nimirum fortasse poterat ut hi *Hierocomitae Addanorum*, non secus ac alii *Hierocomitae*, qui Pergamenorum imperio suberant, Macedonum mensibus uterentur; alii vero Cilices diversos omnino menses adhiberent. Fieri quoque potuit ut *Panemus* ille, qui in Marmore memoratur, non Macedonum, sed Cilicum potius fuerit; quemadmodum prorsus Corinthii quoque *Panemi* nomine mensium unum vocabant, qui tamen a Macedonico Panemo manifestissime distingui debet, ut inferius demonstrabitur; idque facile exemplis aliis ostendi posset, quae in Fastis Atticis [1] proferuntur. Denique fieri fortasse potuit ut Honorii Caesaris aetate, sequioribus nimirum temporibus, Cilices ipsi Syro-Macedonum mensibus uti coeperint; at antiquioribus tamen, Pindaricique Scholiastae aetate menses alios usurpaverint, quod in Cypro, aliisque in locis factum conspicimus. Itaque subtilioribus Viris aliis haec exploranda, vel dirimenda relinquo; idque unum veluti certum, atque perspicue a me demonstratum esse confido, quod menses illi, cuiuscumque demum Gentis ii fuerint, ad *Elidenses* certe, vel *Delios* cum Dodvello referri non possunt; ac Olympici proinde Ludi non ultimo, non embolimo; sed primo potius Civilis Elidensis anni mense veteri, constantique ritu peragebantur, ut tamen ad plenilunium potius, sive mensis ipsius medium, quam ad novilunium, sive initium spectaverint.

VIII. Ita vero Olympicorum Ludorum celebritas in plenilunium ipsum incidere consueverat, ut *sextadecima* mensis die ab Hellanodicis, sive Ludorum Praesidibus de victoribus iudicium fieret; ipsisque corona, quae antiquitus quidem ex pomis, mox vero ex olea contexta fuerat [2], concedetur, ut elegantissime Pindarus ipse testatur:

. . . . διχόμηνις ὅλον χρυσάρματος
Ἑσπέρας ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε μήνα
Καὶ μεγάλων Ἀέθλων ἁγνὰν κρίσιν
Καὶ πενταετηρίδ' ἀμᾶ
Θῆκε. [3]

. . . ple-

(1) Dissert. XIV. (2) Pindar. Olymp. XI. & III. & Pausf. Eliac. I. (3) Olymp. III. ver. 35.

*. . . . plena Luna aureo curru vecta*
*Vespere totum oculum illustraverat,*
*Et magnorum Certaminum sanctum iudicium,*
*Et quinquennium simul constituerat.*

Ipsa tamen Ludorum celebritas *undecima* mensis die incipiebat. Etenim Pindarus ipse Olympica Festa ἀέθλων πενταμέρους ἁμίλλας[1] *quinque-dierum Certamina* vocavit: ubi vetus, & optimus ille Pindari Scholiastes adnotavit: πέντε ἡμέραις ἤγετο τὰ ἀγωνίσματα, ἀπὸ ἑνδεκάτης μέχρις ἑκκαιδεκάτης. ἡνίκα ἂν ἐτελεῖτο τὰ ἄθλα τῶν πενθημέρων Α'γώνων, ἐγέραιρον τοὺς βωμούς. [2] *quinque diebus Certamina agebantur, ab undecima mensis usque ad sextamdecimam: itaque cum quinque dierum Agones absolvebantur, aras honorabant.* Qua vero serie, vel ordine omnis Ludorum, sive Certaminum varietas quinque diebus illis absolveretur, definiri certe vix poterit, cum Veteres hac in parte nihil expresserint; & maxima subinde varietas in Ludis ipsis invecta fuerit. Id unum ex Pausania [3] constitui poterit; quod ante LXVII. Olympiadem uno eodemque die equorum, simulque hominum Certamina peragebantur; ut *equiriis*, tum *quinquertio*, denique, ingruente iam nocte, *pancratio* certaretur. At memorata Olympiade est institutum, ut mactatis Deo victimis, quinquertii primum, & cursus, deinde vero equorum certamina committerentur. Ac *Pentathlum* quidem, sive *Quinquertium*, quod XVIII. Olympiade receptum fuit, quinque certamina complectebatur; nimirum, ut celebri Simonidis, [4] versiculo exprimitur Α"λμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην *saltum, cursum, discum, iaculum, luctam*, quorum Agonum quilibet a Pausania, Fabro [5], & Pottero [6] nitide, accurateque describitur. Ceteris tamen omnibus excellere videbatur δρόμος *cursus*; qui omnium etiam primus in Olympicis Ludis istis obtinuit; ut proinde Coraebus, aliique Olympionicae, usque ad Olymp. XVIII. solo stadio, vel cursu certaverint. At initio quidem σαδιοδρόμοι *stadii cursores* integram stadii longitudinem, hoc est 125. passus, sive octavam Italici milliarii partem conficere tenebantur. Olympiade vero XIV. δίαυλος seu *duplicati stadii cursus* est institutus, quo διαυλοδρόμοι a carceribus ad metam, simulque a meta ad carceres continuato cursu, vel im-

pe-

(1) Olymp. V. vers. 13. (2) Ad Olymp V. ver. 13. sic Tzezes ad Lycophron. (3) Pausf. Eliac. I. c. 8. (4) Anthol. Lib. I. c. 1. Epigr. 8. (5) Agonist. Libr. I. c. 31. (6) Archaeol. Lib. II. c. 21.

petu ferebantur ; iisdemque pene temporibus δολιχὸς etiam, ac δολιχοδρόμοι sunt adiecti, quum stadii meta longius removebatur, ut proinde vel 12. vel 25. stadia peragenda forent. *Pancratium* vero Olympiade XVIII. receptum *luctam*, simulque *pugilatum* ita complectebatur, ut in illa quidem Agonistae adversarium prosternere, in isto vero ictibus illum impetere niterentur; cum tamen alioquin luctatores sese ictibus impetere, sive pugiles in πύγμῃ, vel *solitario pugilatu* adversarium prosternere non solerent; utrumque vero Pancratiastis solum concederetur. Quemadmodum vero virorum Pancratium Olympiade XXXIII. receptum fuit, (2) ita Olymp. CXLV. puerorum Pancratium usurpatum, simulque repente repudiatum fuit (3). Ita quoque puerorum Quinquertium Olympiade XXXVIII. admissum, simulque tamen abolitum memoratur (4); quamvis Olymp. XXXVII. cursus, & luctae; ac Olymp. XLI. caestuum certamen pueris ipsis concessum, posterisque etiam aetatibus conservatum fuerit. Itaque duobus primis Olympiorum diebus non alia, quam Pentathli, Pancratiique, Certamina committi, vel celebrari consueverant: nisi fortasse potius utrumque ad unum eundemque diem cum Sophoclis Scholiaste referre libeat: ἅλμα, δίσκον, ἄκοντα, δρόμον, πάλην, ταῦτα ἐν μίᾳ τὶς ἠγωνίζετο ἡμέρα, (5) *saltu, disco, iaculo, cursu, lucta uno eodemque die certavit*; quamvis id omnino absurdum, nec ipsi quidem Herculi concessum dixerit Faber (6), ut variis illis Certaminibus una eademque die certare posset.

IX. Ceteris autem mox insequutis Olympicae celebritatis diebus, sed ordine tamen hactenus incomperto, Agones alii peragi, sive committi consueverant, quorum nomina, simulque originem brevissime ostendisse iuverit, quod illa saepissime in Graecis Scriptoribus occurrant, ac veluti perspicui, certique temporum characteres haberi subinde possint.

Πύγμη *Pugilatus*, seu Caestuum ludicrum Olympiade XXIII. est institutum, quo non modo inter sese viri, sed pueri quoque post Olympiadem XXXXI. certabant. (7)

Ὁπλιτῶν δρόμος *gravioris armaturae peditum cursus* Olympiade LXV. receptus fuit. (8)

Κέλητης πῶλος vel *desultorius pullus* Olympiade CXXXI. admis-

(1) Pauf. Eliac I. c. 8. (2) Pausan. c. 9. (3) Ibi c. 9 (4) Ibi c. 9. (5) Ad Electr. (6) Agonist. Lib. I. c. 31. (7) Pausan. Eliac. I. c. 8. (8) Ibi c. 8. & 12.

missus fuit; cum iam inde ab Olympiade XXXIII. ἵππος κέλητι *equus desultorius* receptus esset, adeoque adultis equis cursus ille conficeretur. (1)

Ἀπήνης δρόμος *mularis vehiculi*, vel *rhedae cursus*, in quo muli iugales bini adhibebantur, Olympiade quidem LXX. institutus, sed LXXXIV. abrogatus fuit.

Κάλπης δρόμος Olympiade LXXI. receptus, atque LXXXIV. sublatus fuit (2). Amaseus quidem, aliique plurimi *Calpen* carpenti genus fuisse putant, in quo equae dossuariae duae iungerentur. At eruditis Viris est observatum ita Calpe certatum esse, ut eques equarum uni, celetis instar, insideret, aliam vero manu duceret, ac moderaretur, metaeque proximus ex equa desiliens utriusque fraenum arripiens ita cursum absolveret.

Συνωρίς, aut *biga*, quae scilicet a binis integra aetate, vel adultis equis in stadio traheretur, Olymp. XCIII. recepta fuit; nam πώλων Συνωρίδες, sive *pullorum equorum bigae* Olympiade solum CXXVIII. sunt institutae. (3)

Ἅρμα *currus* a binis, vel quatuor adultis equis trahebatur: unde interdum simpliciter *currus*, interdum etiam τέθριππος *quadriga* nominatur: ut Theron Agrigentinus ἅρματι *curru* a Pindaro vicisse dicitur (4); cum tamen ex integro Odes contextu ipsum *tethrippo*, sive *quadriga* certasse constet. Ceterum equorum adultorum currus, sive biga, sive quadriga illa fuerit, Olymp. XXV. at ἅρμα πώλων *pullorum* equorum *currus* Olympiade solum IC. admissus fuit. (5)

X. Quemadmodum vero obscurum hactenus, & incompertum esse diximus ordinem, quo in splendidissima Olympiorum celebritate Ludi, vel Agones omnes superius enumerati solenni, constantique ritu conficerentur, ita quoque incognitam, vel incertam esse conspicimus diem, qua Sacra quoque ad Iovis, Herculis, aliorumque Deorum, atque Heroum Aras maxima, atque incredibili pompa celebrabantur; utrum nempe solemnis illa Sacrificiorum dies in Olympici Agonis initium, vel finem potius incideret. Etenim Pausanias quidem mactatis prius Deo victimis Olympicos Ludos commissos fuisse dicit; idque non obscure Pindarus ipse testatur (6). Scholiastes tamen asserit quod

πρό-

(1) Ibi c. 8. (2) Pauſ. c. 9. (3) Pauſ c. 9. & Xenoph. Libr. I. (4) Olymp. Ode II. verſ. 8. (5) Pauſ. c. 9. (6) Olymp. III. verſ 35. & V. ver. 13.

πρότερον ἡ ἡμέρα τῆς πανσελήνου παρεγίνετο, εἶτα αἱ θυσίαι, καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ Ἀγῶνος ἐτελοῦντο *prius plenilunii dies adveniebat: deinde vero ſacrificia, & cetera ad Agonem ſpectantia perficiebantur*. At fieri fortaſſe potuit ut Sacra quaedam Ludorum initio, alia in ipſorum exitu peragerentur: idque certe veriſimilius haberi poterit ſplendidiora Sacra in ipſo potius Ludorum initio celebrata fuiſſe: quemadmodum ſane Pindarus ipſe docet Thebis in Heracliis Feſtis prius Sacrificia peragi, mox δευτέρῳ ἄμαρι *ſequenti die* Certamina committi conſueviſſe [1]. Eiuſmodi vero Sacra Olympiorum tempore celebrata non ab Elidenſibus ſolum, ſive Piſaeis, qui Ludis ipſis praeſidebant, ſed ab omnibus fere Graeciae Populis offerebantur, quae Ἀρχιθεώρους, ſive *Spectaculi Principes* ad Olympicos, alioſque etiam Ludos eligere, atque ablegare conſueverant, qui patriae nomine pompam ducere, vota nuncupare, denique Sacra ſplendidiori, quo poterat, cultu peragere nitebantur. Facile id quidem plurimis Veterum teſtimoniis oſtendi poſſet; ſed unicum Andocidis locum ſubieciſſe nunc iuverit, ut is ab inſigni mendo, vitioſaque Interpretum explicatione liberetur. Poſtquam accuratus, atque elegans Orator ille dixiſſet quod Alcibiades Diomedi cuidam Athenienſi, qui biga certaturus Olympiam conceſſerat, vim intulit, ipſeque in Diomedis locum irrepſit, repente ſubdit: Ἵνα δὲ μὴ μόνον Διομήδην, ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν ὅλην ὑβρίζων ἐπιδόξειε, τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν Ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος, ὡς εἰς τὰ πινάκια τῇ προτέρᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε, καὶ ἀποδοῦναι οὐκ ἤθελε. βουλόμενος τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνίβοις, καὶ θυμιατηρίοις. Ὅσοι μὲν οὖν τῶν ξένων, μὴ ἐγίνωσκον ἡμέτερα ὄντα, τὴν πομπὴν τὴν κοινὴν ὁρῶντες ὑστέραν οὖσαν τῆς Ἀλκιβιάδου, τοῖς τούτου πομπείοις χρῆσθαι ἐνόμιζον ἡμᾶς. [2] *Et, ut non ſolum Diomedem, ſed ipſam univerſam Urbem offendiſſe oſtenderet, utenſilia a ſacrorum Ludorum Praefectis petens, ut in tabulis utenſilium ſcripturus, prima die eis uſurus, decepit, reddereque noluit; primus die inſequenti vaſis aureis lavandis manibus, & thuribulis Urbis uti volens. Quotquot autem peregrinorum veſtra eſſe neſciverunt, pompam omnem ſpectantes poſt pompam Alcibiadis ductam, vos ipſius utenſilibus uſos putarunt*. Palmerius doctiſſimus, cum nullum hic *utenſilibus* locum eſſe intelligeret, ſimulque graeca quaedam a latino Interprete omiſſa conſpiceret, Fe-

(1) Iſthm. IV. verſ. 114. (2) Orat. IV.

Feſtum aliud excogitavit, quod ſolemnem Feſti diem Athenis proxime conſequeretur; adeoque dies Feſto poſterior, ſive ut Gallice exponit ipſe, *le lendemain de la Fête* vocaretur. At erudito Viro depravatus Andocidis locus impoſuit. Quolibet enim pignore contenderim non οὐσίας *utenſilis*, ſed θυσίας *ſacrificii* legendum eſſe: ut nimirum exprimatur Alcibiadem ab Athenienſium Architheoris aurea vaſa poſtulaſſe, perinde quaſi ipſis τῇ προτέρᾳ τῆς θυσίας, die nimirum, quae ſolemnem ſacrificiorum, pompaeque diem praecederet, in inſtruenda menſa, vel ara privatim uti vellet; cum tamen ipſis τῇ ὑστεραίᾳ *ſequenti*, hoc eſt ipſa ſacrificiorum pompaeque die publice uti decreviſſet; antequam ſolemnis Athenienſis Urbis pompa duceretur. Ceterum Achitheoros ipſos ad Pythicos etiam Ludos Athenienſis Urbis nomine miſſos eſſe perſpicuo Demoſthenis [1] teſtimonio facile oſtendi poteſt, quod inferius aſſeretur ubi de Pythiis, ipſorumque tempore agendum erit. Nemeacis etiam Ludis Athenienſium Architheoros interfuiſſe, ibique patriae Civitatis nomine ſacrificia offerre, ſolemnemque pompam ducere conſueviſſe ex alio Demoſthenis loco, licet obſcuriori, vel depravato, deprehendiſſe videor, quem facile tamen reſtitui, ac illuſtrari poſſe putaverim. Aſſerit Orator quod Midias, quamvis ſibi infeſtus eſſet, εἴασε δ' Ἀρχιθεωροῦντα ἀγαγεῖν τῷ Διὶ τῷ Νεμίῳ τὴν κοινὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως θεωρίαν *non prohibuit quominus Architheorus in honorem Nemii Iovis commune pro Republica ſpectaculum celebrarem*. Nullus hic dubito quin haec ad Nemeacos Ludos, ſolemnemque pompam in iis Athenienſis Urbis nomine exhibitam referri debeant. Itaque non Νεμίῳ *Nemio*, quae nihili vox eſt, ſed Νεμεαίῳ reſcribendum arbitror; ut quemadmodum Andocides [2] ſe in Olympiis, ac Iſthmiis etiam Ludis Athenienſium Architheorum fuiſſe gloriatur, ita quoque Demoſthenes non Athenis, ſed Argis, Nemeorum Architheorus haberi debeat.

XI. Quandiu vero ſolemnis illa, magnifica, atque admirabilis Olympicorum Ludorum celebritas veteri conſtantique ritu peracta fuerit; quibuſve temporibus pompa illa Olympio Iovi ſacra, quam Pindarus πενταετηρίδ' ἑορτάν [3] *quinquennale Feſtum* appellat, atque a Pindari aetate ad ſequiora uſque tempora ſingulis quinquenniis inſtaurari conſueverat, ſublata ſit, defini-

C

(1) Orat. de Falſa Legat. Pag. 208. (2) Orat. I (3) Neme. XI verſ. 34.

niri vix poteſt. Pauſanias certe Olympiadis CCXXXV. meminit [1]. Africanus in contexenda Olympiadum, temporumque ſerie Olympiades ipſas ad ſua uſque tempora, hoc eſt Olymp. CCIL. deduxit. Cenſorinus aureolum *de die Natali* Librum ſcribens Olympiadis CCLIV. proxime ſuperioris meminit. [2] Iuliani Caeſaris aetate non Olympicos ſolum, ſed & reliquos etiam Graeciae Ludos adhuc πολυθρυλλήτως *celebratiſſimos* fuiſſe in *Epiſtola pro Argivis* Caeſar ipſe demonſtrat. Olympia demum Theodoſii ſenioris aetate ſublata, vel abolita fuiſſe ſcribit Theophanes; idque *ſextodecimo*, ultimoque piiſſimi Caeſaris illius anno contigiſſe teſtatur Cedrenus, hoc eſt anno Chr. 395. ut ipſorum proinde ſeries in Olympiade CCXCIII. deſierit [3]. Quod vero Cedrenus ipſe mox aſſerit tunc Olympiadum loco *Indictiones* diſtinguendis ſignandiſque temporibus uſurpari coepiſſe, facile refelli poteſt, cum Indictiones ipſae Theodoſii Caeſaris aetatem longe praeceſſerint; & *Conſtantinianae* ſaltem Indictionis exordium a doctiſſimis Viris [4] Alexandrinum Chronicon, ſive Faſtos Siculos, ſequutis ad 23. Septembris diem anni Chr. 312. hoc eſt anni 1. Olymp. CCLXXIII. referatur: quamvis Panvinius Nicaeni Concilii tempore & Olympiadas a Conſtantino Caeſare aboliras, & Indictiones iis ſubſtitutas eſſe putaverit. Ita quoque mirifice deceptus eſt Scaliger, qui poſt abolitas Olympiadas Luſtrum Iulianum *Olympiadis* nomine appellari coepiſſe contendit, idque variis Scriptorum teſtimoniis, & exemplis etiam ex Socrate, & Auſonio petitis oſtendere conatur [5]. At inſignem hunc doctiſſimi Viri errorem accuratiſſime confutavit Petavius [6]; ſimulque ſingula Scriptorum loca, quibus abuſus eſt Scaliger, ſubtiliter explicavit. Qui plura hac in parte deſideret, Petavii fontes adire poterit. Id unum obſervaſſe nunc iuverit quod ex Ovidii loco, quem Scaliger ipſe laudaverat, nitide inferri poteſt *Olympiadis* nomine Romanum *Luſtrum*, non poſt abolitas Olympiades, ut Scaliger exiſtimavit, ſed florentibus adhuc Olympiae Ludis, aliquando deſignari. Ait enim Poeta

*In Scythia nobis quinquennis Olympias acta eſt;*
*Iam tempus Luſtri tranſit in alterius.* [7]

quemadmodum, ut *quinquageſimum* aetatis annum exprimeret, ait.

*Po-*

(1) Eliac. I. c. 9. (2) Cap 18. (3) Petav. Doctr. Temp. Lib. IX. c. 46. Fabri Agon. Lib. II. c. 26. (4) Petav Doctr Temp Libr. XI. c. 41. (5) De Emend. Temp. Libr. V pag. 382. (6) Lib. IX. c. 43. (7) De Ponto Libr. IV. Ep. 6. verſ. 5.

*Postque meos ortus Pisaea vinctus oliva*
*Abstulerat decies praemia victor eques* (1).

Itaque ex testimoniis illis, quae Scaliger (2) ipse congessit, perspicuum fiet *Olympiadis* nomine *Lustrum* etiam aliquando vocatum esse; sicuti vicissim *Olympiadis*, aut quadriennii spatium *Lustrum* ab Ovidio vocatur cum ait

*. . . . in Lustrum accedere debet,*
*Quae consumatur partibus, una dies* (3).

quamvis Olympias quatuor solum annos constantissime complexa fuerit, Lustrum vero quinque Iulianis annis constaret, ut proinde promiscua illa *Olympiadis*, ac *Lustri* appellatio florentibus adhuc in Elide Olympicis Ludis usurpata subinde fuerit; quos Iuliani Caesaris temporibus viguisse, atque ipsa demum Theodosii aetate sublatos, atque abolitos esse iam diximus. Olympicos tamen Ludos Antiochiae celebratos longe post abolitos Elidensium Ludos exolevisse erudimur. (4) Etenim in Historiarum Sylloge ex Malelae Chronicis consarcinata legitur quod *anno Vrbis Antiochiae XCII. permisit Claudius Antiochenis emere ab Elidensibus ius Ludorum Olympicorum Antiochiae celebrandorum mense Hyperberetaeo*, quod nimirum civiles Antiochenorum anni a calendis ipsis Hyperberetaei, sive Octobris Iuliani, inciperent; tum subdit Malela Ludos ipsos ab Afranio, qui *Alytarchae* dignitatem omnium primus obtinuit, anno Aerae Antiochenae CCLX. restauratos esse; tandemque a Iustino Caesare anno Antiocheno DLXVIII. omnino abolitos, ac excisos fuisse. Itaque, cum Antiochensis Aera inceperit autumno anno V. C. Var. 705. hoc est affecto iam anno 4. Olymp. CLXXXII. ut invicte demonstravit Norisius (5), Olympici Ludi apud Antiochenos incepisse debent anno V. C. 797. sive Chr. 45. ab Afranio sunt restituti anno V. C. 965. Chr. 213. denique omnino sublati anno V. C. 1273. sive Chr. 521. in quem annus $\frac{1}{4}$ Olympiadis Elidensis CCCXXIV. incidisset. Quandoquidem tamen eiusmodi Malelae Historia pluribus subinde erroribus inquinata, variisque fabulis respersa conspicitur, nihil hic temere de Antiochenorum Olympiorum tempore definire nunc velim; idque unum ex Malela ipso, variisque Theodosiani Co-

 di-

(1) Trist. Lib. IV. Eleg. 10. ver. 85. (2) Vid. Scal. ad Chr. Euseb. anno 2023. (3) Fastor. Lib III. vers 131. Vid. De Emend. Temp. Lib. V. Pag 482. (4) Vid. Prideaux. ad Marm. Oxon. Pag. 139. (5) De Epochis Syro-Maced. Dissert. III c. 4. 6. & 7.

dicis testimoniis inferri posse putaverim quod Alytarchae dignitas, & Olympici quoque Ludi apud Antiochenos habebantur, quacumque demum aetate instituti, sive sublati illi fuerint; quemadmodum certe pluribus ostendi posset iisdem quoque temporibus, quibus apud Antiochenos Alytarcha praeerat, Olympicos Ludos adhuc in Elide celebratos esse; quamvis Prideauxius Alytarchae dignitatem, simulque Olympiorum celebritatem in Elide prorsus abolitam, atque a Pisaeis ad Antiochenos translatam esse putaverit.

XII. Ceterum, quaecumque demum opinio de Antiochenis Olympiis istis eligatur, perspicuum est tamen Olympicos Ludos non in Elide solum, sed in variis etiam Graeciae, vel Orientis Vrbibus peractos esse; quamvis ab Elidensibus, verisque Olympiis accuratissime distingui debeant. Etenim Smyrnae quoque Olympia celebrata fuisse non modo Pausanias (1), sed Athleticum etiam Marmor ostendit, in quo M. Aurelius Asclepiades, sive Hermodorus, vicisse dicitur ἐν Ζμύρνῃ Ο'λύμπια (2) *Smyrnae Olympia*; quemadmodum prorsus in Oxoniensi Marmore Σμύρναν Ο'λύμπια (3) apud *Smyrnam Olympia* memorantur; simulque τὰ κατὰ τὴν Α'σίαν Ο'λύμπια *Asiae Olympia* apud Philostratum occurrunt (4), quae non alia certe Prideauxio (5) videntur esse, quam quae Σμύρναν Κοινὸν Α'σίας *Commune Asiae Festum* in Oxoniensi Marmore nominantur. Ita Alexandriae quoque Ludos Olympicos institutos esse ex Gruteriano Marmore deprehendi potest, in quo Asclepiades ille, aliove nomine Hermodorus, vicisse dicitur Ο'λύμπια τὰ ἐν Πίσῃ ΣΜ. Ο'λυμπιάδι *Olympia in Pisa Olympiade CCXL.* tum memoratis pluribus certaminibus, seu victoriis aliis additur: ἀθλήσας τὰ πάντα ἔτη ἓξ παυσάμενος τῆς ἀθλήσεως ἐτῶν ΚΕ.. κ̀ μετὰ τὸ παύσασθαι μετὰ πλείονα χρόνον ἀναγκασθεὶς ἐν τῇ πατρίδι Α'λεξανδρείᾳ, κ̀ νικήσας Ο'λύμπια παγκράτιον Ο'λυμπιάδι ἕκτῃ *certans in universum annos sex desistens a palestra annos natus XXV... & postquam destitisset post plurimum temporis coactus in patria Alexandria vincens Olympia pancratio Olympiade sexta*. Ergo inter Olympiadem CCXL. Elidensium, & *sextam* Alexandrinorum *plurimum temporis* intercessit; adeoque Olympiadum Alexandrinarum exordium facile ad Olymp. CCXL. seu potius CCXXXVIII.

(1) Eliac. II. (2) Gruter. Pag. 314. (3) Marm. III. Pag. 70. (4) In Polemone. (5) Ad Marm. Oxon. Pag 73.

CCXXXVIII. referri debet. Itaque doctissimus Faber hic fallitur ubi asserit Asclepiadem *intermisisse ipsam artem athleticam, cum iam 25. attigisset, per totos sex annos* (1): quo plane fieret primam Alexandriae Olympiadem post CCXLI. Elidensium contigisse. At in Marmore diserte legitur Asclepiadem *sex* annis, ab *undevicesimo* nimirum ad *vicesimum quintum*, certasse; moxque longiori fortasse, sed incognito nobis, tempore intermisisse. Apud Dium quoque Macedoniae Vrbem Olympicos Ludos Iovi, Musisque sacros ab Archelao rege institutos esse testatur Diodorus; ipsosque ab Alexandro novem dierum spatio magnifice peractos asserit anno 2. Olymp. CXI. (2): quemadmodum Olympicos Ludos alios anno 1. Olymp. CVIII. a Philippo celebratos esse iam dixerat (3) postquam ille Olynthiorum Vrbem occupaverat.

XIII. Denique, ne exemplis aliis hic immorer, Athenis ipsis Olympia, vel a primis usque temporibus agebantur. Etenim Pindarus, ubi dixisset Timodemidas Athenarum cives pluribus in locis palmas retulisse, subdit

. . . . . . τὰδ' οἴκοι
Μάσσον ἀριθμῷ
Διὸς Α'γῶνι (4)

. . . . . . *domi autem*
*Maiores* sunt *numero* victoriae
In *Iovis Agone*:

ubi Scholiastes adnotavit τίθεται δὲ ἐν Α'θήναις Διὸς Α"γων, τυτέςι τὰ Ο'λύμπια *celebratur Athenis Iovis Agon, hoc est Olympia*: quemadmodum Hesychius ait Ο'λύμπια. ὁ Αθήνησιν Α"γων *Olympia. Certamen Athenis celebratum*. Clarius id etiam ex altero Pindari loco deduci poterit quum is Telesicratem Pythiorum victorem celebrans ait ipsum palmam quoque retulisse

Ε'ν Ο'λυμπίοισί τε, καὶ βαθικόλπυ
Γᾶς Α'έθλοις (5)

*In Olympiis etiam, & profunde sinuosae*
*Telluris Certaminibus*:

ubi Scholiastes optime, accurateque observavit: Ο'λυμπίοις. ȣ τοῖς ἐν Πίσῃ νῦν. οὐ γὰρ ὕτως ἔῤῥιψεν ἁπλῶς τὸν λόγον. ἀλλὰ τοῖς ἐν Α'θήναις.

*Olym-*

(1) Agon. Lib. III. c. 12. (2) Lib. XVII. c. 16. (3) Lib. XVI. c. 55. (4) Neme. II. ver. 35. (5) Pyth. IX. ver. 77.

*Olympiis. non de iis, quae in Pisa* celebrantur, *nunc* Pindarus loquitur; *neque enim ita simpliciter mentionem* de iis *iniecisset*; *sed de Olympiis* illis hic agit, *quae Athenis* agebantur. Nec alia certe de caussa factum putaverim quod Thucydides, ubi dixisset Cyloni ab Oraculo imperatum, ut in maximo Iovis Festo Athenarum arcem occuparet, subdit Cylonem id non de maximo apud Athenienses Festo, ac *Diasiis* praesertim, quod proclive fuerat; sed de Elidensibus solum Olympiis accepisse; adeoque, cum Ὀλύμπια τὰ ἐν Πελοποννήσῳ (1) *Olympia in Peloponneso* advenissent, Atheniensem arcem occupasse. Certe, si Cylonis, aut Thucydidis ipsius aetate nulla Athenis *Olympia* fuissent, quae cum Peloponnesiacis Olympiis confundi possent, quid Thucydes adiecisset Olympia a Cylone expectata *Elidensia* fuisse, non vero solum *Olympiorum* nomen expressisset? Id optime profecto viderat antiquus ille Thucydidis Scholiastes, qui voces illas consulto a Thucydide adiectas esse observavit, ut is *Elideusia* ab *Atheniensibus* Olympiis accurate distingueret. Itaque, nisi plurimum fallor, Dodvelli sententia probari certe non poterit ubi superiorem Thucydidis locum exponens ait ipsum voces illas τὰ ἐν Πελοποννήσῳ *in Peloponneso* non alia de caussa adiecisse, quam ut Olympicos Elidensium Ludos a Diasiis Festis distingueret, quae in Iovis honorem ab Atheniensibus solemni ritu quotannis celebrabantur: quemadmodum & eximium quoque Hesychii locum de Elidensibus solum Olympiis intelligi posse putavit, *nec aliunde ortum existimat, quod Grammaticus ille reliquis accuratior Atheniensibus etiam tribueret Olympia*, nisi quod *tantumdem valebant Olympiades Atticae, quam Elidenses, postquam Athenienses, & Elidenses etiam eodem Metonis Cyclo uti coeperunt*. (2) Etenim, ut leviores alias Dodvelli coniecturas, & argumenta dissimulem, Festa singula, quae in Iovis honorem Athenis agebantur, proprio, distinctoque *Diasiorum Diipoliorum* nomine vocabantur; adeoque cum Olympiis in Elide celebratis confundi certe non poterant, nihilque proinde in caussa esse poterat cur Thucydides Olympicos Elidis Ludos a Diasiis accurate distinguere conaretur. Quinetiam cum Thucydides asserit Cylonem Olympia τὰ ἐν Πελοποννήσῳ *in Peloponneso* expectasse perspicue satis ostendit Athenis etiam, aut alibi Olympia quaedam peragi consuevisse.

XIV.

(1) Lib. I c. 126. (2) Dissert IV. Sect. 11.

XIV. Ab Olympiis autem istis, quae Pindari, ac Thucydidis aetate Athenis celebrantur, perspicue distingui debent Olympici Agones illi, quos Hadriani Caesaris temporibus institutos, ipsoque Athenis degente primum celebratos, vel editos esse putaverim, postquam Caesar ipse magnificum Olympio Iovi, simulque sibi Templum Athenis dedicaverat, atque in Graecis proinde Marmoribus, ac Numis etiam *Olympii* nomen obtinuerat, ut fusius, ac opportunius in Fastis Atticis demonstravi (1). Itaque, cum *Olympiei* dedicatio, solemnisque, & augusta celebritas illa in annum 3. Olymp. CCXXVII. inciderit, ut perspicuis certisque characteribus ostendi, eiusmodi Olympiorum institutio ad annum illum referri debet. Ac Olympicos certe Ludos, sive Olympiadem aliquam tunc Athenis institutam esse ex pulcherrimo quoque, & eximio Marmore deprehendisse videor: quo perspicue etiam apparet Atticas Olympiades istas, Elidensium, & Alexandrinarum instar, numerandas fuisse: quod Eruditis omnibus ignoratum esse conspicio. Cl. Muratorius hoc Marmor exhibet Pag. 1080. Num. 1.

*Athenis in magna basi. E Schedis meis, & Schedis Barberinis Cyriaci.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ
ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΟΛΥΜΠΙΟΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ
ΤΩΝ ΕΝ ΤΩ ΠΟΝΤΩ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΕΝ ΤΗ ΠΡΩΤΗ ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ
ΔΙΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΩΝ
ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΣΚΙΠΙΩΝΟΣ
ΚΑΙ ΓΑΙΩΜΙΟΥ

(1) Differt. X. Num. 16.

IMPERATOREM . CAESAREM
TRAIANVM . HADRIANVM
AVGVSTVM . OLYMPIVM
SEBASTOPOLITANORVM
IN . PONTO
SENATVS . ET . POPVLVS
SVVM . BENEFACTOREM
IN . PRIMA . OLYMPIADE
LEGATIONEM . AGENTIBVS
CAPITONE . SCIPIONE
ET . GAEOMIO .

Marmor ipſum, & quidem accuratius, in editis etiam Cyriaci Inſcriptionibus obſervatur Pag. XI. Num. 83. Etenim in poſtremo verſu legitur ΚΑΙ. ΓΑΙΩ. ** ΜΙΟΥ ideoque non *Gaeomio*, ſed *Caio . . . mio* reddi debet. Quandoquidem vero in omnibus Cyriaci exemplis nitide diſerteque legitur ἐν τῇ πρώτῃ Ὀλυμπιάδι *in prima Olympiade*, dubitari certe non poterit, quin aliqua Olympiadum ſeries hic indicetur, quae Elidenſium inſtar in poſterum numeranda foret. Cl. quidem Muratorius hic adnotavit: *excidiſſe hic aliquid ſuſpicor, neque enim Hadrianus Auguſtus prima Olympiade decurrente floruit*; *ſed quidem* anno primo *alicuius Olympiadis*, *ut reor*. At in perſpicuo integroque Marmore nulla erroris ſuſpicio, nulluſque lacunae locus hic eſſe poteſt; ideoque non *primus* Olympiadis alicuius annus, ſed *prima* potius Olympias hic indicatur. Quam vero Olympiadem hic veluti *primam* in Athenienſi Marmore expreſſam, vel numeratam eſſe putabimus, niſi quae Athenis, Olympico dedicato, & Olympiis Agonibus ſplendidiſſime celebratis inſtituta fuerit? ut quemadmodum nempe Pindarus de Hercule loquens ait

*. . . . . . . καὶ πεντα-*
*ετηρίδ' ὅπως ἄρα ἔστασεν ἑορτὰν,*
*Ἐν Ὀλυμπιάδι πρώτα* (1)
*. . . . . . . & quinquen-*
*nalem quomodo inſtituiſſet celebritatem*
*In Olympiade prima;*

olym-

(1) Olymp. X. verſ. 69.

Olympicos nimirum Ludos ita *primum* ab Hercule celebratos esse, ut pentaeteridis vertentis spatio illi redire, vel instaurari debuerint; ita quoque ab Olympiis illis, quae tunc Athenis peracta fuerant, Olympiades mox futurae, veluti cardine, numerandae fuerint. Itaque, cum ab omnibus fere Graeciae, vel Orientis Vrbibus Hadriano Caesari Statuas, ac Monimenta iis temporibus Pausanias [1] excitatas esse testetur, quibus ille Iovi, sibique Templum dedicavit, adeoque superius etiam Sebastopolitanorum Marmor tunc temporis Hadriano positum fuerit, quis aperte non videat *primam* Atticam Olympiadem in eximio hoc Marmore memoratam in eosdem annos, sive CCXXVII. Elidensium Olympiadem incidisse?

XV. Quandoquidem vero Olympiadas, quae in Elide committebantur, atque excellentia quadam, sive *κατ᾽ ἐξοχὴν Olympia* dicebantur, veluti perspicuos, certosque temporum characteres a Graecis omnibus usurpatas, atque in distinguenda rerum serie numeratas esse iam diximus, illud hic etiam coronidis loco addidisse iuverit qua methodo, quibusque legibus civiles Graecarum Gentium anni cum olympicis ipsis committi debeant; ut facile Magistratus etiam, qui civilibus annis, quibus praeerant, nomen imponere, suo nimirum nomine veluti charactere eos designare consueverant, ad certos olympicos annos accuratissime referantur. Certe, si Gentium ipsarum singulae civilis anni principium non ab alio, quam Olympicorum Ludorum tempore, veluti cardine, deduxissent, aut unum saltem idemque civilis anni principium usurpassent, facile civiles ipsarum anni, res iis gestae, ac Magistratus omnes eponymi cum olympicis annis committi possent. At eruditis omnibus est observatum, atque ipse quoque opportunius in Fastis Atticis [2] demonstravi, civilis anni principium, mensiumque nomina apud finitimas etiam Gentes mirifice dissidere. Ita Achaeos ab ineunte vere, seu Pleiadum ortu, Aetolos autem ab autumno, sive ortu Virgiliarum civiles annos inchoasse mox ostendetur, ubi de Nemeis agendum erit. Thebani a bruma annos suos exordiebantur: quemadmodum Athenienses ipsi ante Olympiadem LXXXVII. a Gamelionis Attici novilunio, quod proxime brumam ipsam consequebatur, annum auspicabantur; atque insti-

D tu-

(1) In Attic. (2) Differt XIV.

tuta demum Metonis Enneadecaeteride, primo nimirum eius Olympiadis anno, civiles, & Archonticos annos ab Hecatombaeone mense ducebant; ut civiles proinde cum olympicis annis tunc accuratissime conspirarent. Itaque in tanta varietate, Cyclorumque dissidio id unum constitui, vel definiri nunc poterit quod apud Elidenses quidem, Athenienses, & si quae fuerint Gentes aliae, quae civiles annos, Elidensium instar, ab olympico mense deduxerint, primi mensis, sive civilis anni, principium non ab olympici mensis plenilunio, Ludorumque fine, sed ab initio potius, hoc est novilunio, censeri debet; ac *primus* Olympiadis alicuius annus apud illas vocari, qui vere ab olympico mense inceperat. In Gentibus autem aliis, quae in civilis anni principio ab Elidensibus dissidebant, primus illarum mensis ex ipso civilis anni cardine, vel annuis ipsarum Magistratibus aestimandus erit; ac *primus* Olympiadis alicuius annus apud ipsas censeri mensis ille, in quem Olympici Ludi incidissent, qui proxime nimirum ante Olympicos Ludos inceperat: sive is ab autumno, sive a bruma, sive etiam a vere, pro vario Gentis more, processerit. Sic, ut exemplis aliquot id ostendatur, Isocrates a Dionysio, [1] simulque Plutarcho [2] in lucem prodisse dicitur κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ϗ ἕκτην Ὀλυμπιάδα, Ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Λυσιμάχου Μυῤῥινουσίου *Olympiade LXXXVI. Archonte Athenis Lysimacho Myrrhinusio*, hoc est anno 1. illius Olympiadis. Ac Isocratis quidem ortus, ut in Fastis Atticis ipse omnium primus ostendi, [3] Hecatombaeone mense, quo Olympias illa, vel olympicus annus inceperat, contigisse debuit; sed Lysimachus tamen ille Archontis Eponymi munus non labente anno 1. Olymp. LXXXVI. ut Dodvellus, aliique plurimi existimarunt, sed Gamelione mense anni 4. Olymp. LXXXV. susceperat; ergo civilis, & Archonticus annus ille, qui ante Ludos inceperat, cum *primo* Olympiadis anno committi, sive *primus* olympicus annus in Attica Periodo censeri debet. Ita quoque Salaminia pugna, quae Olympiadis LXXV. anno 1. commissa fuit, Calliadis Archontis anno contigisse dicitur; cum tamen Calliadis imperium Gamelione mense anni 4. Olymp. LXXIV. inceperit [4]; atque in Oxoniensi Marmore ad annum

istum

(1) De Antiquis Orator. Num 1. (2) Vita X. Rhet in Isocr. (3) Dissert IX. Num. 38. (4) Vid. Fast. Attic. Dissert. IX. Num 29.


istum accuratissime referatur. Itaque in contexendis Archontum Fastis ante Olymp. LXXXVII. Archontes omnes ad annum illum olympicum referendos esse demonstravi, qui ipsis magistratu fungentibus desiturus erat; quamvis Diodorus, aliique plurimi, qui Diodori vestigiis institere, Archontes ipsos ad annum illum olympicum revocaverint, qui ipsis imperio fungentibus erat incepturus; adeoque Calliadem anno 1. Olymp. LXXV. Fastis adscripserint, qui anno 4. Olymp. LXXIV. tribuendus erat. Exinde vero factum esse iam diximus ut Archontum, rerumque gestarum series mirifice incerta foret; Diodorus ipse a Dionysio, atque Oxoniensi Marmore dissidere; unius denique Archontis nomen in Fastis omnibus hactenus editis excidisse videretur; cum tamen omnia sibi mirifice consentiant; Diodorus ipse cum Dionysio, simulque Marmore componi; integra demum, atque accurata Fastorum series contexi possit, si Apseudes non Gamelione mense anni 4. Olymp. LXXXVI. ut Dodvello, ceterisque Scriptoribus omnibus existimatum, sed Gamelione potius superioris anni 3. imperium susceperit; adeoque non *quinque* solum, ut putavit Dodvellus, sed *septemdecim* potius in Magistratu menses exegerit. Sed haec, aliaque id genus plurima, quae in civilibus Atheniensium annis, simulque olympicis una committendis observari debent, fusius, atque opportunius in Fastis Atticis demonstravi. Id unum hic postremo monuisse iuverit, quod Dionysius ipse, qui Eponymos Atheniensium Archontes cum olympicis annis illis committere consuevit, qui mox incepturi fuerant, ut archonticus proinde, vel civilis Atheniensium annus olympici initium praecederet; ita vicissim civiles Romanorum annos, sive Consules, cum olympicis annis coniunxit, ut Consules ipsos ad annum potius Olympicum revocaverit, qui ipsis consulatum gerentibus erat desiturus; adeoque semper apud Dionysium, si insignem unum ipsius locum alibi laudatum exceperis, consularis anni principium olympici principio posterius esse consueverit; hoc est Dionysius ipse ineuntem V. C. annum cum anno olympico non incepturo, sed labente potius, atque exeunte fere, coniunxerit. (1) Quod vero ad ceteros Scriptores attinet, qui Consulum, & Archontum nomina, sive civiles Romanorum annos, simulque Olympicos

 me-

(1) Vid. Fast. Attic. Dissert. VIII. Num 9.

memorarunt, maxima certe varietas in ipsorum singulis, atque perplexitas observatur. Etenim Diodorus quidem in Consulares Fastos mutilos, atque mirifice depravatos inciderat. Livius in contexenda Consulum serie, vel in Consularibus annis ad annos olympicos revocandis integro subinde anni spatio aberravit, ut inferius demonstrabitur ubi de Nemeis, ipsorumque tempore agendum erit: idque facile de Scriptoribus etiam aliis ostendi posset; quemadmodum certe plurima fusius, atque opportunius in Fastis Atticis demonstravi [1] ubi methodum, melioresque leges exposui, quibus civiles Atheniensium, aliarumque Graecarum Urbium menses cum civilibus Romanorum mensibus una coniungi, sive facile committi possint.

(1) Dissert. & XIV.



DIS-



# DISSERTATIO II.

## PYTHIA.

I. PRoxime post Olympicos Ludos, de quibus hactenus loquuti sumus, Pythici sunt exponendi, qui ceteros omnes splendore, ac celebritate, si Olympicos solum exceperis, superarunt. Quod ad ipsorum originem pertinet, perspicuis Veterum testimoniis erudimur quod Pythia ab Apolline, postquam Pythonem, sive serpens, (1) sive tyrannus (2) quidam ille fuerit, occiderat, sunt instituta; posterisque aetatibus in Apollinis ipsius honorem celebrari consueverunt. Ubi vero Amphictyones Cirrhaeos, ac Crissenses, qui Delphicum Templum violaverant, sacro diuturnoque bello, Eurylocho Thessalo duce, superassent, Ludos ipsos, qui iam fere obsoleverant, instaurarunt, eosque clariores, nobilioresque reddiderunt. Etenim, cum solo cytharoedorum certamine olim peragi, laureoque serto, veluti victoriae praemio, decorari solerent, tibicinum quoque, ac virorum ad tibias canentium certamen adiectum, victorique non laurus, sed pecunia concessa fuit; quamvis Pythiade mox insequuta Agon ipse non χρηματίτης *pecuniarius*, sed στεφανίτης *coronarius* iterum decretus fuerit. Haec omnia nitide diserteque Pindari Scholiastes exposuit, simulque temporis characteres expressit, quibus, & Cirrhae direptio, ac uterque Pythicus Agon ille contigerit: Ε᾿υρύλοχος ὁ Θεσσαλὸς καῖαπολεμήσας Κιῤῥαίυς ἀνεκλήσατο τὸν Α᾿γῶνα τῦ Θεοῦ .... περιεγένετο ἀυτῶν ἐπὶ Α᾿ρχοντος Α᾿θήνησι μὲν Σιμω-

νί-

(1) Ovid. Metam. I. ver. 445. (2) Strabo Lib. IX. & Scholiastes Pind. in Argum. Pyth.

-νίδυ, Δήλῳ δὲ Γυλίδα . . . καὶ δὴ τοῦτον χρηματίτην μόνον ἔθετο. Μετὰ δὲ χρόνον ἑξαετῆ . . . ἐπὶ μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος Δαμασίυ, ἐν δὲ Δήλῳ Διοδώρυ ὕςερον καὶ ςεφανίτην ἔθεντο (1). *Eurylochus Thessalus cum debellavisset Cirrhaeos constituit Certamen in Dei* Apollinis *honorem* . . . *vicit* autem *illos Archonte Athenis quidem Simonide, in Delo vero Gylida . . . & Agonem ipsum chrematitem solum decrevit. Verum post sex annos . . . Archonte Athenis quidem Damasia, in Delo autem Diodoro, iterum coronarium statuerunt*. Longeque clarius Scholiastes alter: Τὸν Πυθικὸν Ἀγῶνα διέθηκεν Εὐρύλοχος ὁ Θέσσαλος σὺν τοῖς Ἀμφικτύοσι τὺς Κιῤῥαίυς καταπολεμήσας . . ἐπὶ Ἄρχοντος Δελφοῖς μὲν Γυλίδα, Ἀθήνησι δὲ Σίμωνος, καὶ νικήσας ἔθετο χρηματικὸν Ἀγῶνα . . , ἔθετο δὲ Ἀγῶνα κιθαρῳδικὸν, ὥσπερ καὶ πρότερον. προσέθηκε δὲ αὐλητὴν, καὶ αὐλῳδόν . . . καὶ ἔτει ἕκτῳ μετὰ τὴν τῆς Κίῤῥας ἅλωσιν, ἀνεκύρηξαν τῷ θεῷ τὸν ςεφανίτην ἐπὶ Διοδώρυ μὲν Ἄρχοντος Δελφοῖς, Ἀθήνησι δὲ Δαμασίδος. (2) *Pythicum Certamen instituit Eurylochus Thessalus una cum Amphictyonibus cum Cirrhaeos debellasset . . Archonte Delphis quidem Gylida, Athenis vero Simone; victoriaque parta chrematiten Agonem decrevit . . . Citharoedorum vero certamen, ut prius, admisit*, simulque *tibicinem, cantoremque ad tibiam adiecit . . . sextoque post Cirrhae excidium anno coronarium Dei Agonem* Amphictyones *decreverunt, Diodoro quidem Delphis Archonte, Athenis vero Damaside*. Quo certe loco observari facile poterit duos Archontas illos *Diodorum*, ac *Gylidam* non ad Delum insulam (quid enim Pythicis Ludis cum Delo?) sed ad Delphos ipsos referendos esse; adeoque in superiori Scholiastae loco utrobique ἐν Δέλφοις rescribendum; quamvis Dodvellus ipse (3) vitiato Scholiastae textu deceptus *Diodorum*, ac *Gylidam* non Delphorum, sed Deli Archontes fuisse putaverit.

II. Eiusmodi vero Pythiorum caussa, & origo, quam Pindaricus Scholiastes ille nobis expresserat, perspicuo quoque Oxoniensis Marmoris testimonio mirifice confirmatur. Siquidem in ipso duplex illa Pythiorum celebritas, Cirrhaeque excidium iisdem prorsus Atheniensium Archontum nominibus insignitur; quamvis in Marmore inter Simonis, & Damasiae Archontis annum non *sex* solum, ut Pindari Scholiastes ait, sed *novem* potius anni numerentur: Ἀφ' ὗ Ἀμφικτύονες ἐνίκησαν ἑλόντες Κύῤῥαν, καὶ ὁ γυμνικὸς ἐτέθη χρηματίτης ἀπὸ τῶν λαφύρων ἔτη ΗΗΗΔΔΠΙΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθή-

(1) Argum II in Pyth. (2) Argum. IV. (3) Pag. 778. 795. 797.

Α'θήνησι Σίμωνος . . . . Α'φ' ȣ̃ ςεφανίτης Α'γὼν πάλιν ἐτέθη ἔτη ΗΗΗΔΠΙΠ Α"ρχοντος Α'θήνησι Δαμασίȣ τȣ̃ δευτέρȣ. (1) *Ex quo Amphictyones victoriam obtinuerunt Cyrrham capientes , & Agon gymnicus editus fuit chrematites dictus e ſpoliis , anni 327. Archonte Athenis Simone . Ex quo Stephanites , vel coronarius Agon denuo editus fuit , anni 318. Archonte Athenis Damaſia ſecundo*. Itaque ex celeberrima Marmoris huius hypotheſi Cyrrhae excidium , & chrematites Pythicus Agon ad annum 2. Olymp. XLVII. referri debet ; ſtephanites vero , vel coronarius Agon , ſimulque Damaſiae principatus ad annum 3. Olymp. IL. revocari , quum ex Pindarici tamen Scholiaſtae calculo ad annum 3. Olymp. XLVIII. referri ille debeat. Hinc Lydiatus (2) , Valeſius (3) , aliique plures ἐννεαέτῃ & ἔτει ἐννάτῳ in ſuperiori Scholiaſtae loco reſcribendum eſſe contendunt ; ut nimirum Scholiaſtes ipſe cum Marmore conſpiret ; quemadmodum etiam Lydiatus ipſe non ὕςερον , ſed ὑςέρȣ legendum aſſerit , ſicuti in Marmore Δαμασίȣ τοῦ δευτέρȣ *Damaſia ſecundo* ſcriptum conſpicitur : cum praeſertim Scholiaſtes ipſe teſtetur ; quod ἐτελεῖτο ὁ Α'γὼν κατ' ἀρχὰς μὲν διὰ ἐννεατηρίδος , μετέςη δὲ εἰς πενταετηρίδα (4) *initio quidem novennii intervallo peragebatur Agon ; deinde vero in quinquennium mutatus fuit*. At, niſi plurimum hic ego fallor, nihil in Pindarici Scholiaſtae loco mutari debet. Optime nimirum hic ὕςερον *ſecundo* dicitur, ut exprimatur Damaſia Athenis Archonte Agonem, qui chrematites fuerat , *iterum* coronarium evaſiſſe ; ſicuti in Marmore legitur ςεφανίτης πάλιν ἐτέθη *coronarius iterum conſtitutus fuit* : & quamvis etiam non ὕςερον, ſed ὑςέρȣ legendum eſſet , id certe non ad Damaſiam , ſed ad Diodorum potius Delphorum Archontem referri deberet . Quod vero ad χρόνον ἑξαετῆ , ſive *ſexennium* attinet , quod in Scholiaſte nunc legitur, atque ideo in ἐννεαετῆ mutandum eſſe putavit Lydiatus , quod Scholiaſtes alius, ac Cenſorinus Pythia initio *enneaeterica* fuiſſe dixerit , non ea certe , vel Pindarico Interpreti, vel Cenſorino mens fuerat quod Pythia ab Amphictyonibus Simone Archonte inſtituta *enneaeterica* fuerint ; moxque Damaſia Archonte *pentaeterica* repente evaſerint, adeoque inter Simonis , & Damaſiae principatum *novennium* effluxerit : ſed *novennii* intervallum ad antiquiora illa tempora referri debet ,

(1) Epoch. 38. & 39. (2) Marm. Oxon. Pag. 45. (3) Tom. I. Hiſt. Acad. Inſcript. (4) Vid. Cenſorin c. 18.

bet, quibus Pythia peragebantur, antequam Solonis aetate omnino intermissa, vel obsoleta iam forent. Certe Solon Atheniensium civibus, qui Olympia, vel Isthmia vicissent, praemia quaedam constituit (1); nihilque tamen de Pythiorum victoribus adiecit: quod argumento esse poterit ipsius aetate, sive anno 3. Olympiadis XLVI. quo Eponymus Athenis Archon fuit, ac leges edidit, Pythicos Ludos peragi non consuevisse. Ad haec Pindarici Scholiastae verba de inchoato solum *novennio* intelligi profecto debent; quemadmodum Censorinus ait Pythia post annos *octo* instaurari consuevisse. At ex Marmoris hypothesi calculoque *novennium* ipsum non affectum modo, sed integrum potius, completumque foret; adeoque, si Scholiastes ipse cum Marmore committi debeat, non χρόνον ἐννάετῆ *novennium*, & ἔτει ἐννάτῳ *anno nono*, ut contendit Lydiatus, sed δεκαετῆ, & ἔτει δεκάτῳ *decennium*, & *anno decimo* rescribendum foret. Itaque suspicor hic optime, accurateque χρόνον ἑξαετῆ *sexennium* a Scholiaste numerari; Pythicosque Ludos, qui Simone Athenis Archonte post Cirrhae excidium anno 2. Olymp. XLVII. peracti fuerant, iterum *quinquennio*, sive si mavis, *sexennio* labente, deletisque Cyrrhaeorum reliquiis, Damasiae Archontis anno, tertio nimirum Olymp. XLVIII. instauratos esse; tuncque primum & gymnicos, & pentaetericos in posterum decretos fuisse; adeoque proxime sequentis Olymp. IL. anno 3. celebratos esse.

III. Certe, ut hinc exordiar, Scholiastes ille testatur Pythicos Ludos *iterum*, sive *secundo* celebratos esse *quum ceteri* Amphictyonum *Duces Cirrhaeorum reliquos superassent*; eos nimirum, qui post ingentem Cirrhae, Crissaeque direptionem ad Cirphim montem confugerant. Quis vero existimet palantes illos, ac perfugas Cirrhaeos nonnisi exacto *novennii* spatio superatos tandem, & excisos fuisse? Ad haec, si Pythia Olympiadis XLVII. anno 2. peracta post *novennium* solum, hoc est anno 3. Olymp. IL. instaurata fuissent, ut ex Marmore contendit Lydiatus, prima, ac pentaeterica Pythias post Olympiadem IL. incidisset. At Olympiadis XLVIII. qua Glaucias Crotoniata palmam retulerat, anno tertio Pythicos etiam Ludos celebratos fuisse gravissimus, & accuratissimus Scriptor Pausanias testatur asserens quod τῆς τεσσαρακοςῆς Ὀλυμπιάδος κὴ ὀγδόης, ἣν

(1) Plutar. in Solone.

ἣν Γλαυκίας ὁ Κροτωνιάτης ἐνίκησε, ταύτης ἔτει τρίτῳ ἄθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες [1] *quadragesimae octavae Olympiadis, qua Glaucias Crotoniata vicerat, anno tertio certamina instituerunt Amphictyones*: quod veteri nimirum citharoedorum certamini tunc equorum etiam, & quadrigarum certamen adiectum fuit. Denique, ne coniecturas alias hic persequar, Pythicos Ludos Damasiae Archontis anno instauratos esse tum Oxoniensis Marmoris, tum Pindarici quoque Scholiastae testimonio erudimur. At Damasias ille, licet ex Marmoris hypothesi ad annum *tertium* Olympiadis IL. referatur, ante Olympiadem ipsam Archontum Fastis inscribi, atque ad XLVIII. Olympiadem referri debet. Etenim Laertius de Thalete loquens ait ἦν τοίνυν ὁ Θάλης πατρὸς μὲν Ἐξαμίου, μητρὸς δὲ Κλεοβουλίνης, καὶ πρῶτος σοφὸς ὠνομάσθη, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου [2]: *igitur Thales patre quidem Examio, matre vero Cleobulina genitus est, atque* omnium *primus Sapiens est appellatus Archonte Athenis Damasia*.. Insignem hunc Laertii locum ita Meursius [3], Scaliger [4], aliique plurimi explicarunt ut Damasiae Archontis anno Thaletem in lucem prodiisse velint; adeoque, cum Laertius ipse mox dixerit [5] Thaletis ortum in annum 1. Olymp. XXXV. incidisse, Damasiae nomen Meursius hoc anno 1. Fastis inseruit; ac Dodvellus ipse Damasiam hunc I. ad annum 1. Olymp. XXXV. Damasiam vero II. in Marmore memoratum ad annum 3. Olymp. IL. revocavit. Sed Meursius hic certe non modo perspicue fallitur, sed universam quoque temporum illorum historiam mirifice perturbat. Etenim Thales Damasiae Archontis anno non in lucem prodiisse, quod Meursius immerito existimavit, sed *Sapientis* nomen obtinuisse dicitur; ibique Laertius Damasiae Archontis nomen adiecit non ut natalem Thaletis annum exprimeret, sed ut accurate potius tempus ostenderet, quo Thales ipse, simulque ceteri sex Graeciae Viri *Sapientis* nomine sunt insigniti. Facile id ego primum ex perspicuo Laertii textu deprehendisse videor, qui de natali Thaletis anno mox nitide loquuturus, initio ipsius parentes, simulque *Sapientis* nomen ipsi, ceterisque concessum expressit. Ait enim καὶ πρῶτος Θάλης σοφὸς ὠνομάσθη Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου, καθ' ὃν οἱ

E ἑπτὰ

(1) Phocic. c. 7. (2) Libr. I. seg. 22. (3) De Arch. Ath. Libr. I. c. 11. (4) In Collectan. Histor. (5) Segm 38.

ἑπτὰ Σοφοὶ ἐκλήθησαν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαλερεὺς ἐν τῇ τῶν Ἀρχόντων Ἀναγραφῇ *atque* omnium *primus Thales Sapiens est appellatus Archonte Athenis Damasia: quo tempore VII. Graeciae Sapientes sunt nominati, ut ait Demetrius Phalereus in Archontum* ſerie, vel *Recensione*. Itaque quis aperte non videat ex perſpicua Laertii hypotheſi, ſive potius accuratiſſimis Demetrii Faſtis, Damaſiae Archontis anno Thaleti, ceteriſque *Sapientis* nomen inditum memorari; adeoque Damaſiae nomen ad annum 1. Olymp. XXXV. hoc eſt natalem Thaletis annum, prorſus immerito revocari? perinde quaſi Thales ipſe uno eodemque anno in lucem prodire, ſimulque communi Graeciae conſenſu *Sapientis* nomine decorari potuerit. Ergo Damaſias ille, qui a Laertio ex Demetrii Faſtis hic memoratur, non ad Olympiadem XXXV. ſed ad poſteriora tempora ſpectaſſe debuit, quibus Thales ipſe, Solon, Periander, ceterique ſapientiae gloria, rerumque geſtarum laude florere potuerint. Id tamen ante Olymp. IL. contigiſſe ex Periandri vita manifeſtiſſime deprehendi poteſt. Siquidem Periander ipſe anno 4. Olymp. XXXVIII. poſt Cypſeli patris obitum Corinthi tyrannidem occupavit; exactiſque in illa annis *quadraginta* e vivis exceſſit ἑνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐνάτης Ὀλυμπιάδος *anno uno ante quadrageſimam nonam Olympiadem*, ut nitide diſerteque, additis etiam characteribus aliis, Laertius (1), & Euſebius expreſſit: ut proinde Scaliger (2), Meurſius (3), Menagius (4), ceterique Scriptores omnes Periandri mortem ad annum 4. Olymp. XLVIII. revocandam eſſe putaverint. Ergo, ſi Periander ipſe una cum ceteris *Sapientis* nomen obtinuit, idque Damaſiae Archontis anno contigiſſe debuit, dubitari certe non poterit quin Damaſiae principatus ante Periandri mortem, adeoque ante Olymp. IL. inciderit; ideoque coronarius Pythiorum Agon, quem *Damaſiae II.* Archontis anno celebratum eſſe Oxonienſis Marmoris Auctor oſtendit, ad IL. Olympiadem referri certe non poterit; nihilque veriſimilius effingi poteſt, quam coronarium Agonem illum, Damaſiae principatum, ſimulque Sapientis nomen VII. Viris illis conceſſum in annum 3. Olymp. XLVIII. incidiſſe.

IV. Ac certe, ſi Damaſias aliquis admitti debeat, qui ex Oxo-

(1) Segm. 95. & 98. (2) Ad Chron. Euſeb. anno 1389. (3) De Arch. Ath. Libr. I. c. 10. (4) Ad Laert. loc. cit.

Oxoniensis Marmoris hypothesi ad annum 3. Olymp. IL. referatur, ille non *secundus*, ut optime accurateque Marmor ipsum appellat, sed *tertius* habendus esset. Etenim praeter Damasiam illum, quo Archonte VII. Viros ante Olymp. IL. *Sapientis* nomine appellatos esse iam diximus, Damasias alter anno 2. Olymp. XXXV. imperaverat, ut perspicuo Dionysii testimonio erudimur. Etenim ait *παραλαμβάνει τὴν ἀρχὴν ὁ Μάρκιος ἐνιαυτῷ δευτέρῳ τῆς τριακοστῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Σφαῖρος ὁ Λακεδαιμόνιος, καθ' ὃν χρόνον Ἀθήνησι τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν εἶχε Δαμασίας* (1) Ancus *Martius regnum suscepit anno secundo Olympiadis trigesimae quintae, qua vicit Sphaerus Lacedaemonius, quo tempore Archontis annui magistratum habebat Damasias*. Eximium hunc quidem Dionysii locum Meursius (2) ipse iam viderat; sed, cum Damasiae Archontis nomen ad natalem Thaletis annum, hoc est 1. Olymp. XXXV. referendum esse contenderet, ita Dionysium intelligendum esse putavit, ut Dionysius ipse Damasiae principatum non ad 2. Olympiadis annum, quo Ancus regnum obtinuit, sed ad 1. quo Sphaerus victor evaserat, revocaverit. Quo certe loco Meursius & a perspicua temporum serie, & a clarissima Dionysii mente, vel phrasi maxime aberrat. Etenim, ut exemplum unum hic afferam, Dionysius ipse mox subdit *παραλαμβάνει τὴν βασιλείαν ἐνιαυτῷ δευτέρῳ μάλιστα τῆς μιᾶς καὶ τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος ὁ Ταρκύνιος, ἣν ἐνίκα στάδιον Κλεωνίδας ὁ Θηβαῖος, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡνιοχίδου* *regnum adeptus est Tarquinius anno secundo quadragesimae primae Olympiadis, qua Cleonidas Thebanus stadio vicerat, Archonte Athenis Heniochide*. Itaque, sicuti Heniochides iste non *primo*, sed *secundo* solum XLI. Olympiadis anno, Meursio ipso teste (3), Archontum Fastis inscribitur, ita quoque Damasias ipse non *primo*, sed *secundo* potius XXXV. Olymp. anno adscribendus erit; ac Damasias ille, quem ante Olymp. IL. imperasse iam diximus, *Damasias alter*, sive II. habendus erit; cumque in Marmore Pythicum Agonem Damasiae II. Archontis anno celebratum esse dicatur, Agon ille ad Olymp. IL. differri certe non poterit. Ergo, ut uno omnia verbo complectar, Pindarici Scholiastae opinio cum Pausaniae calculo, Demetrii Fastis, pluribus Eusebii, Laertiique testimoniis invicem collatis accuratissime conspirat; adeoque Pythicus coronarius

 Agon,

(1) Lib. III. num. 36. (2) De Arch. Ath. Libr. I. c. 11. (3) Libr. I. c. 12.

Agon, & Damasiae II. principatus ante Olymp. IL. nec alio facilius quam 3. Olymp. XLVIII. anno contigisse debuit.

V. Sed quid praestantissimo Marmoris Auctori reponi poterit, a quo coronarius Agon, simulque Damasiae II. principatus ad annum 3. sequentis Olymp. IL. revocatur? Id acutiores alii liberius inquirant; simulque methodum, qua Pausaniae, Scholiastae, aliorumque testimonia fortasse cum Marmore componi possint, accuratius ostendant. Certe, ne gravissimus Auctor ille, qui plenos, integros, accuratosque Archontum Fastos exscribere poterat, in re celeberrima deceptus dicatur, suspicari fortasse quis poterit in ipso Marmore quadratarii vitio errorem aliquem irrepsisse; adeoque pro ΗΗΗΔΠΙΙΙ 318. levi mutatione numerum alium ΗΗΗΔΔΙΙ 322. legendum esse. Suspicari quoque quis poterit in Fastis ipsis, quos Marmoris Auctor exscripserat, dissidium aliquid extitisse; cumque id unum veluti certum, atque exploratum haberetur quod Pythicus Agon Damasiae Archontis anno, & *secunda* Pythiade *coronarius* evaserat, nonnulli quidem *primae* Pythiadis nomine Ludos illos fortasse intellexerint, qui repente post Cirrhae excidium sunt celebrati; alii vero splendidiores alios veluti omnium *primos* acceperint, qui, Cirrhaeis omnino deletis, addito quadrigarum certamine, simulque definito pentaeteridis spatio, sunt instituti: quo fieri profecto debuit ut *secundam* Pythiadem, & Damasiae nomen Scriptores alii ad XLVIII. alii ad IL. Olympiadem revocaverint. Denique, ne coniecturis aliis hic immorer, cum *prima* pentaeterica Pythias, a qua ceterae mox insequutae *numerari* coeperunt, in IL Olympiadem certissime inciderit, ut mox ostendetur, nihil certe facilius esse iam poterat quam ut Scriptores aliqui *primam* Pythiadem, quam Damasiae Archontis anno peractam esse didicerant, in IL. Olympiade collocarent: perinde quasi *prima Pythias celebrata* a *prima Pythiade numerata* nullo discrimine distingueretur. Ceterum, quocumque demum ex fonte dissidium, ac error ille prodierit, Marmoris solum auctoritas Pausaniae, Scholiastis, aliorumque auctoritati praeferri certe non poterit; neque Pausanias ex Marmore, sed Marmor ipsum ex Pausania ceterisque Scriptoribus explicari, corrigique debet. Illud hic etiam observari facile poterit quod, quamvis Dodvellus, aliique plurimi Damasiae II. nomen Scriptoribus omni-

omnibus ignoratum, atque ex solo Oxoniensi Marmore exsculpendum esse putaverint, illud tamen perspicue ex superioribus Laertii, atque Pindarici Scholiastae locis deprehendi poterat. Itaque excusari certe non poterit insignis Scaligeri [1], Meursiique [2] error, qui res a Laertio, & Scholiaste Damasiae Archontis nomine insignitas ad Damasiam alium, sive Olympiadem XXXV. revocarunt. Quid vero quod Meursius ipse Simonis Archontis nomen Pindarico Scholiastae memoratum, adeoque Pythicum Agonem ab Eurylocho constitutum, Cirrhaeque excidium anno 1. Olymp. XXXIII. Fastis inscripserit? Si verus Simonis Archontis annus, Pythicique Agonis origo unius Marmoris praesidio definiri debuisset, facile id quidem in doctissimo Viro, cuius aetate Marmor ipsum nondum affulserat, dissimulari potuisset. At Meursius ipse iam viderat bellum contra Cirrhaeos Solone Duce susceptum, atque Cirrhensem Vrbem Solonis decreto direptam fuisse. Itaque, cum ex Aeschine [3], simulque Plutarcho [4] Solon, Meursio ipso teste [5], anno 2. Olymp. L. *octogenarius* [6] e vivis excesserit, adeoque anno 1. Olymp. XXXV. in lucem prodierit, qui fieri unquam potuit ut anno 1. Olymp. XXXIII. Solone duce Cirrhaeorum Vrbs diripi, Pythicus Agon institui, Simon denique Archontis munere perfungi posset? Sed haec, aliaque id genus plura, quae Clarissimo Viro exciderunt, ex perspicuo Laertii loco perperam explicato, veluti fonte, prodiere; adeoque, si insignem illum Laertii textum ipse omnium primus rite, feliciterque explicaverim, universa temporum, rerumque series sibi mirifice constabit; Simonis Archontis nomen, prima Cirrhaeorum clades, Pythicique Ludi anno 2. Olymp. XLVII. prima vero pentaeterica, solemnisque Pythias, *Sapientis* nomen septem Graeciae Viris concessum, extremum Crissensis Populi excidium, & Damasias II. anno 3. Olymp. XLVIII. adscribendus erit. Quamvis tamen Olympiade XLVIII. Pythici Ludi peracti fuerint, primusque coronarius Agon ad Olympiadem illam spectaverit, Pythiades tamen ipsae non ab illa, sed a sequenti potius Pythiade numerari coeperunt; ut proinde prima Pythias, ex qua ceterae supputari consueverunt, in Olympiadem IL. inciderit.

Id

(1) In Collectan. Histor. (2) Libr. I. c. 11. (3) Orat. adv. Ctesiph. (4) In Solone. (5) Libr. I. c. 14. (6) Laert. I. seg. 62.

Id optime, accurateque ex variis Pindarici Scholiastae locis post Scaligerum [1] demonstravit Dodvellus [2], ubi Scholiastes ipse XXVIII. Pythiadem LXXVI. Olympiadi σύγχρονον fuisse dicit; [3] XXXI. Pythiadem ante LXXX. Olymp. peractam esse testatur [4]; denique XXIX. Pythiadem proxime post Olymp. LXXVIII. celebratam asserit [5]; ut proinde constans ille Pythiadum numerus semper ab Olympiade IL. sive Pythiade, quae proxime post Olympicos Ludos illos inciderat, veluti cardine, deducatur.

VI. Atque ista quidem de vero tempore, sive Olympiade, qua Pythiades ipsae vel institutae fuerint, vel numerari coeperint. Quo vero Olympiadis anno Pythiades ipsae peragi, vel celebrari consueverint hactenus, ut opinor, incertum, & obscurum censeri facile poterit: cum illustriores certe meliorisque notae Scriptores hac in parte diffideant. Etenim Scaliger [6], Meursius [7], aliique plures Pythicos Ludos *tertiis* Olympiadum annis celebratos esse arbitrantur, quod Pausanias [8] ipsarum originem ad tertium Olympiadis XLVIII. & Eusebius [9] ad tertium Olymp. IL. annum revocaverit; simulque Xenophon [10] testetur Iasonem Pheraeorum principem ἐπιόντων Πυθίων *imminentibus Pythiis* occisum esse, eiusque interitum Diodorus [11] in anno 3. Olymp. CII. collocaverit. Petavius [12] vero, Dodvellus [13], Petitus [14] aliique plurimi Pythicos Ludos exeunte potius anno *secundo* Olympiadum peragi consuevisse contendunt; idque perspicuo Thucydidis testimonio confirmari posse arbitrantur. Etenim diligens, atque accuratissimus Scriptor ille testatur *decimaquarta* Elaphebolionis mensis die, quum *octavus* Peloponnesiaci belli annus desineret, hoc est anno 1. Olymp. LXXXIX. inter Lacedaemonios, atque Athenienses annuas inducias incepisse: ἅμα ἦρι τῦ ἐπιγιγνομένυ θέρυς ἐκεχειρίαν ἐποιήσαντο ἐνιαύσιον [15] *ineunte sequentis aestatis vere annuas inducias fecerunt*: moxque subdit: τῦ δ' ἐπιγιγνομένυ θέρυς καὶ μὲν ἐνιαύσιοι σπονδαὶ διελέλυντο μέχρι Πυθίων [16] *sequenti aestate induciae, quae in spatium annuum, ad Pythia usque, factae fuerant, solutae sunt*; sive, ut Valla latine reddidit,

(1) Emend. Temp. Libr. I. Pag 52. (2) Differt. V. Sect. 1. (3) Argum. in Pyth III. (4) Argum. ad Pyth. XIV. (5) Argum. in Olymp. XII (6) Emend. Temp. Lib. I Pag. 53 (7) Arch. Ath. Lib. II. c. 9 (8) In Phocic. (9) In Chron Num. 1435. (10) Lib. VI. (11) Lib. XV. c. 57. (12) Doctr. Temp. Lib I c. 33. (13) Differt. V. Sect. 2. & Annal. Thucyd. ad annum 2. Olymp 89. (14) Ad Leges Attic. (15) Lib IV. c. 117. & 118. (16) Lib. V. c. 1.

didit, *quae ad Pythia usque processerant*. Itaque, si annuae induciae, quae Elaphebolione mense anno 1. Olymp. LXXXIX. inceperant, Pythiorum tempore diremptae sunt, vel ad Pythicos Ludos usque durarunt, manifestissime deduci posse videtur quod Pythici Ludi in proxime sequentem annum inciderint, ut nimirum Elaphebolione mense anni *secundi*, ut opinatur Petavius, sive potius Munichione mense celebrati fuerint, ut Dodvellus existimat; adeoque annuis induciis ipsis solemnes etiam Pythiorum induciae accesserint. A Pausania vero, Diodoro, Eusebioque Pythicos Ludos *tertio* Olympiadis anno ideo tributos esse putaverunt Petavius ipse, ac Dodvellus quod exeunte anno *secundo* peragi solerent; adeoque facile ad *tertii* sequentis initium transferri posse viderentur: at *Pythia ipsa*, concludit Dodvellus, *a quibus Tetraeteridis exordium fuisse diximus, non erant certe alterius anni quam secundi* (1) Olympiadum; quemadmodum certe Scaliger ipse, qui Pausaniae, Diodorique vestigiis institerat, ineuntibus solum *tertiis* Olympiadum annis Pythia consignavit. Qui diffidentes illas doctissimorum hominum sententias inspexerit, simulque gravissima Veterum testimonia, quae utraque ex parte proferuntur, accuratius exploraverit, is facile intelliget obscurum adhuc, & ambiguum esse oportere quonam Olympiadis anno Pythia vere celebrari consueverint; aut in alterutram fortasse, ac Petavii praesertim, Dodvellique hypothesim veluti recentiorem, ut fieri plerumque solet, inclinabit. Itaque, ut in re gravissima, ex qua plurima tum Atticae, tum Graecae historiae capita pendere debent, omnis obscuritas, atque ambiguitas dirimatur, perspicuis certisque characteribus ostendisse iuverit Pythicos Ludos non *secundis*, sed *tertiis* solum Olympiadum annis constantissime peractos esse: idque non *tertiis* ipsis ineuntibus, ut Scaligero videbatur, sed exeuntibus contigisse.

VII. Ac initio quidem perspicua Pausaniae, Diodori, Eusebii, simulque Oxoniensis etiam Marmoris testimonia proferri possent, quibus aperte erudimur Pythiadas, ubi pentaetericae factae iam fuerant, *tertio* Olympiadis anno vel institutas, vel peractas esse. At ne vulgatis illis, simulque, ut ingenue fatear, ambiguis, & obscurioribus Diodori praesertim, ac Eusebii testi-

(1) Differt. V. Sect. 2.

ſtimoniis abuti videar, clarioribus exemplis aliis evincam Pythia non aliis quam *tertiis* Olympiadum annis celebrata fuiſſe. Itaque Demoſthenes, aut quicumque demum is fuerit, antiquus, & optimus Orator ille, qui Orationem *adverſus Neaeram* conſcripſit, de Phrynione diſſerens ait ϗ ὡς ἄλλυς τε πολλῦς ἐπὶ κῶμων ἔχων ἔλθεν αὐτὴν, ϗ ὡς Καβρίαν τὸν Α'ιξονέα, ὅτι ἐνίκα ἐπὶ Σωκρατίδυ Α"ρχοντος τὰ Πύθια τῷ τεθρίππῳ *adducebat eam* Neaeram *comeſſatum cum ad alios multos, tum ad Chabriam Aexonenſem, cum is Socratide Archonte quadrigis Pythia viciſſet*. Socratides Archon iſte anno 3. Olymp. CI. Eponymorum Faſtis inſcribitur; adeoque Pythia Socratidis Archontis anno celebrata non ad *ſecundum*, ſed *tertium* Olympiadis annum manifeſtiſſime referri debent. Ita propemodum Pythias, quae Olympiade CVIII. peracta fuit, non ad *ſecundum*, ſed ad *tertium* ipſius annum certiſſime ſpectaſſe debuit. Etenim Pythicos Ludos illos Demoſthenes celebratos eſſe teſtatur (1) poſtquam Phocenſes Vrbes exciſae, direptaeque fuerant. At Phocenſium Vrbium excidium in *viceſimam primam* Scirrhophorionis menſis diem anno 2. Olymp. CVIII. inciderat, ut, emendato Demoſthenis ipſius textu, perſpicuis certiſque characteribus in *Faſtis Atticis* demonſtravi (2); ergo Pythias illa non ad *ſecundum*, ſed ad *tertium* Olympiadis annum revocari debet.

VIII. Pythicos etiam Ludos, qui in Olympiadem CXII. inciderunt, *tertio* ipſius Olympiadis anno celebratos eſſe perſpicuo Aeſchinis teſtimonio demonſtrari poſſe conſpicio. Etenim vehemens, & acer Orator ille, ubi coronam Demoſtheni a Cteſiphonte decretam negandam eſſe contenderet, ait: ϗ τὸν καιρὸν μέμνησθε, ἐν ᾧ τὴν ψῆφον φέρετε. ἡμέρων μὲν ὀλίγον μέλλειτὰ Πύθια γίνεσθαι ... δόξετε δὲ ἐὰν μὲν τῦτον ςεφανῶσητε (3) *temporis etiam ratio vobis eſt habenda, quo ſuffragium feretis. Paucos poſt dies Pythia ſunt futura ... quid ſi iſtum coronaveritis?* Itaque, cum celeberrima quaeſtio, ac iudicium *de Corona*, ad quod univerſa fere Graecia confluxerat, ageretur, nondum Pythia peracta fuerant; ſed brevi potius poſt iudicium ipſum celebrari debebant. At iudicium illud de Corona, vel celeberrimam Rhetorum contentionem Ariſtophontis Archontis anno, hoc eſt anno 3. Olymp. CXII. inſtitutam eſſe Plutarchus (4), Theo-

(1) Orat. de Falſa Leg. Pag. 208. (2) Differt. III. Numer. 15. & 18. (3) Orat. adv. Cteſiph. Pag. 310. (4) In Demoſth. & Vita X Rhet.

Theophrastus [1], Dionysius [2], aliique plurimi [3] diserte docent; ergo Olympiade CXII. Pythici Ludi non *secundo*, sed *tertio* solum ipsius anno sunt celebrati. Quod si veteres, & accuratissimi Scriptores illi mensem quoque expressissent, quo Orationes habitae, ac celeberrima quaestio dirempta fuit, facile exinde verum Pythiadis quoque tempus inferri posset. At nihil propemodum de iudicii mense, vel tempore prodiderunt. Si quidpiam hic tamen in tanto Veterum silentio coniicere liceat, suspicor Aeschinis, ac Demosthenis Orationes Posideone mense habitas, adeoque gravissimum iudicium illud de Corona eodem ipso Posideone mense diremptum esse. Siquidem Aeschines in alia quaestione, quae inter ipsum, ac Demosthenem de mala obita Legatione exarserat, ut argumenti, iudiciique gravitatem, simulque discriminis, in quo versabatur, magnitudinem exprimeret ait: Πρὸς ἐνδέκα γὰρ ἀμφορέας ἐν διαμεμετρημένῃ τῇ ἡμέρᾳ κρίνομαι [4] *etenim diviso bifariam diei tempore ad undecim aquae amphoras accusor*. At Harpocration [5], &, qui totidem fere verbis Harpocrationem ipsum expresserat, Suidas [6] haec Aeschinis verba declarans ait ἐν τῷ Ποσειδεῶνι μηνὶ διαμεμετρημένη ἡμέρα ἐλεγέτο. ἦ δὲ ἦν μέτρον τι ὕδατος πρὸς μεμετρημένον ἡμέρας διάστημα ῥέον. ἐμετρεῖτο δὲ τῷ Ποσειδεῶνι μηνὶ ἐν τούτῳ γὰρ ἠγωνίζοντο οἱ μέγιστοι, καὶ περὶ τῶν μεγίστων ἀγῶνες. *Posideone mense dimensa*, vel bifariam divisa *dies dicebatur*. *Haec vero erat quaedam aquae mensura ad dimensum diei intervallum fluens: mensurabatur autem Posideone mense; quod in illo maxima, & de maximis* rebus iudicia, vel forensia *certamina committerentur*. Itaque, si maxima, vel graviora iudicia Posideone mense agebantur, atque altera *de Legatione* contentio Posideone mense habenda fuerat, dubitari certe vix poterit quin gravius hoc iudicium aliud *de Corona*, adeoque Aeschinis Oratio in mensem illum inciderit. Ergo, si Pythia *paucos post dies* erant futura, perspicue apparet haec exeuntibus *tertiis* Olympiadum annis, nimirum circa Gamelionem, vel Anthesterionem mensem peragi consuevisse.

IX. Sic, ut e sequioribus etiam temporibus exemplum aliud hic proferam, narrat Philostratus [7] Clementem Byzantium iis temporibus in Pythicis Ludis *Tragoedia* vicisse, quibus By-

 zan-

(1) Charact. (2) Epist. ad Ammae. (3) Vide Meurs. Arch. Ath. Lib IV. c 13. (4) Orat. de Falsa Legat. (5) In Διαμεμετρημένη. (6) In Ποσειδεών, & in διαμεμετρημένη. (7) Vitae Sophist. Lib. II. Num. 27. c. 2.

zantium a Severi militibus obsidebatur: cumque a Iudicibus aliis ipsi praeconium, atque victoria negata foret, ne Civitas illa laudari videretur, quae arma adversus Romanos tulisset, solum Hippodromum suffragio suo victoriam Clementi concessisse. Itaque, cum Severus anno Chr. 193. Kalendis Iuniis imperium susceperit, moxque in Orientem contra Nigrum contenderit, exactaque hyeme Niger a militibus occisus fuerit; ipsoque interempto tandem Byzantium, quod in Nigri partibus contra Severum steterat, triennii tempore obsessum sit, [1] perspicue apparet Byzantii obsidionem ante annum Chr. 195. adeoque 3. Olymp. CCXLIII. non incepisse; ideoque Pythicos Ludos illos, quibus Hippodromus Sophista praeerat, ad *tertium* ipsum, non vero *secundum* Olympiadis annum revocandos esse; quamvis Fabricius [2], qui Pythia exeuntibus *secundis* Olympiadum annis peragi consuevisse putaverat, Pythiadem illam ad annum Chr. 194. sive 195. revocaverit.

X. At, ne fortasse quis temere suspicetur sequioribus solum temporibus post Olympiadem C. Pythicos Ludos in *tertios* Olympiadum annos incidisse; antiquioribus tamen, sive Thucydidis aetate, *secundis* annis celebrari consuevisse, illustre tandem exemplum, vel argumentum aliud hic afferam, quo perspicue, simulque, ut opinor, invictissime demonstretur semper Pythia non *secundis*, sed *tertiis* solum Olympiadum annis peracta fore. Narrat Plutarchus Agesilao circa Chaeroneam immorante solis eclipsim contigisse, ipsique victoriam apud Gnidum a Conone partam nunciatam esse; a Lacedaemoniis, Agesilao duce, Thebanos prope Coronam ingenti proelio superatos esse; Agesilaum ipsum, pluribus licet vulneribus saucium, victoriae tamen tropaeum excitasse; tum subdit *κ̀ τὴν νίκην ὅτως ἐκβεβαιωσάμενος, ἐις Δελφὺς ἀπεκομίσθη, Πυθίων ἀγομένων* [3] *victoriaque sic constituta, Delphos deportatus est, dum Pythia agerentur*. Hic nullus, opinor, dubitandi locus superesit quin Pythia, quibus Agesilaus Thebanorum apud Coronam victor interfuit, post insignem illam solis eclipsim, quae Coronensem pugnam praecesserat, peracta fuerint; cum praesertim eclipsis illa, atque haec eadem rerum ab Agesilao gestarum series a Xenophonte quo-

que

(1) Vid. Xiphil. Herodian. & Spartia. in Severo. (2) in Notis ad Philostr. (3) In Agesilao.

que (1), gravissimo nimirum & coaevo Scriptore, disertissime memoretur. At eclipsis illa *decimaquarta* Augusti Romani die, adeoque Metagitnione mense anno 3. Olymp. XCVI. ante Chr. 392. Eubulide Athenis Archonte contigit, ut Calvisio, Petavio, aliisque pluribus est observatum; ergo Pythici Ludi non ad *secundum*, sed ad *tertium* Olympiadis eiusdem annum manifestissime referri debent; adeoque Xenophontis, atque ipsius fere Thucydidis etiam aetate Pythia non in *secundos*, sed *tertios* solum Olympiadum annos incidebant; quemadmodum posteris etiam aetatibus *tertiis* semper annis Pythiadas celebratas esse perspicuis Veterum testimoniis, aut exemplis aliis ostendi.

XI. Quid vero si & Pythicos Ludos illos, qui a Thucydide memorantur, non *secundo*, sed *tertio* solum Olymp. LXXXIX. anno celebratos esse demonstrem; simulque insignem illum Thucydidis locum, quem Petavius ipse, ac Dodvellus arripuit, contra doctissimos Viros illos exponam; adeoque superioribus exemplis aliis, quibus Pythia *tertiis* Olympiadum annis celebrata fuisse demonstravi, exemplum etiam illud adiiciam, quo clarissimi Viri manifestissime deduci posse putarunt *secundis* annis haec peragi consuevisse? Gravissimus, & coaevus Scriptor Thucydides asserit quod exeunte *octavo* Belli Peloponnesiaci anno, hoc est anno 1. Olymp. LXXXIX. *decimaquarta* Elaphebolionis mensis die annuae induciae inter Lacedaemonios, atque Athenienses constitutae sunt (2); cumque plura, quae induciarum ipsarum tempore contigerant, memorasset, repente subdit: τῶ δὲ ἐπιγιγνομένω θέρως αἱ μὲν ἐνιαύσιοι σπονδαὶ διελέλυντο μέχρι Πυθίων. (3) Certe, si gravissimi Scriptoris verba ita cum Hudsono latine reddenda forent *sequenti aestate induciae, quae in spatium annuum, ad Pythia usque, factae fuerant, solutae sunt*; sive cum Valla, *induciae, quae ad Pythia usque processerant*; sive denique cum Interpretibus aliis: *annuae induciae solutae fuerunt in festo Pythiorum*, nullus propemodum dubitandi locus esse posset quin annuum induciarum tempus Elaphebolione mense sequentis anni *secundi* excesserit, adeoque Pythia vel Elaphebolione ipso, ut putavit Petavius, vel Munychionis initio, ut Dodvellus existimat, eiusdem anni *secundi* solemni, constantique ritu peracta fuerint. At obscurior ille, paulloque

F 2 in-

(1) Lib. IV. & Oratio de Agesilao. (2) Lib. IV. c. 117. & 118. (3) Lib. V. c. 1.

intricatior Thucydidis locus, praesertim vero vulgaris illa Interpretum omnium opinio doctissimis Viris imposuit, ut Thucydidis verba alienum in sensum inflecterent. Etenim, nisi mea me fallit opinio, non ea Thucydidi mens fuerat, neque ex superioribus ipsius verbis inferri repente poterit quod annuae induciae ad Pythia usque vel constitutae, vel observatae fuerint: perinde quasi Pythia ipsa veluti induciarum adhuc manentium terminus extiterint; sed ita potius intelligi profecto debet ut annuae induciae, exacto anni spatio, sequentis aestatis initio diremptae fuerint, atque ita diremptae ad Pythia usque perseveraverint; adeoque Pythia induciarum ita diremptarum, hoc est belli iterum post diremptas inducias instaurati, terminus fuerint. Itaque voces illae μέχρι Πυθίων *usque ad Pythia* non ad σπονδαὶ *induciae* cum Hudsono, Valla, Petavio, Dodvello, ceterisque Interpretibus omnibus referri debent, sed ad finitimam vocem aliam διελέλυντο *sunt solutae*; ut nempe exprimatur non *inducias* ipsas, sed induciarum *solutionem* ad Pythia usque processisse. At certe quidem id ipsa in primis verborum series, sermonisque contextus omnino postulat; cum Thucydides ipse Pythia veluti terminum, aut temporis characterem non induciis ipsis, sed illarum diremptioni repente adiecerit. Sed certius hoc tamen, longeque, ut opinor, illustrius ex integro Thucydidis ipsius contextu deprehendi poterit. Ubi nimirum inducias, exacto anni tempore, Elaphebolione mense anno 2. Olymp. LXXXIX. diremptas, adeoque bellum instauratum esse dixisset, nitide diserteque testatur Elaphebolione mense sequentis anni, Alcaeo Athenis Archonte, Ephoroque Spartae Plistola *vicesimaquinta* eius mensis die inducias, quae diremptae iam fuerant, iterum in quinquagesimum annum renovatas esse [1]. Ergo quemadmodum Thucydides annuarum induciarum terminum satis expresserat ubi inducias ipsas decimaquarta Elaphebolionis die incepisse, simulque ineunte vere sequentis anni solutas esse notavit; ita quoque diremptarum induciarum finem, vel belli instaurati terminum subtiliter, accurateque nobis expressit ubi testatur bellum ipsum usque ad Pythia, hoc est solemnes illas sacrasque inducias, durasse, quae Ludorum caussa indicebantur, ac iuxta verisimillimam Dodvelli hypothesim quin-

(1) Lib. V. c. 18. 24.

quindecim diebus Ludos ipsos praecedebant: atque hoc ipso sacrarum induciarum tempore pacem, vel diuturniores inducias alias sancitas fuisse. Itaque, si rem hic acu tetigerim, verumque Thucydidis sensum Scriptoribus aliis incompertum expresserim, adeoque Pythia Thucydidi memorata induciarum diremptarum finis, vel belli terminus haberi debeant; cum finis ille, vel terminus, Thucydide ipso teste, in Elaphebolionem mensem anni 3. Olympiadis LXXXIX. inciderit, manifestissime inferri poterit Pythicos Ludos a Thucydide memoratos non *secundo*, quod hactenus Viri doctissimi existimarunt, sed *tertio* solum Olympiadis anno peractos esse: adeoque tantum aberit ut Petavii, Dodvellique sententia superiori Thucydidis testimonio probari unquam possit, ut opposita potius opinio exinde quoque manifestissime demonstretur.

XII. Nihil est autem cur in excuriendis, ac refellendis iis hic immorer, quae maximo ingenii acumine, ac eruditonis copia variis in locis excogitavit Dodvellus ut Iasonis mortem, simulque Pausaniae, Diodori, ac Eusebii calculos ad *secundos* Olympiadum annos revocaret, ipsorumque testimonia cum superiori Thucydidis loco, quem ceteris Scriptoribus omnibus praeferendum esse putaverat, conciliaret. Etenim, si Thucydides ipse rite explicatus cum Scriptoribus aliis mire conspirat, ut a me demostratum esse confido, facile subtiliores illae Dodvelli coniecturae refelli poterunt; adeoque Iasonis mors, aliaque id genus plurima Graecae historiae capita, quae Pythicis Ludis, veluti perspicuo constantique temporis charactere, decorantur, ad *tertios* Olympiadum annos perspicue, certissimeque referri debebunt. Facile quoque Scaligeri, Palmerii, Valerii, aliorumque sententia refelli iam poterit, qui Pythia ineuntibus vel *secundis*, vel *tertiis* Olympiadum annis celebrari consuevisse putarunt. Siquidem, ut exemplis, & argumentis aliis abstineam, insignis ille Thucydidis locus, quem superius exposui, perspicue demonstrat Pythicos Ludos circa Elaphebolionis mensis finem peractos esse; cumque Delphis oracula, Plutarcho teste, veris initio, Bysioque Delphensium mense reddi consueverint, optime accurateque coniecit Dodvellus Pythicos Ludos *prima*, vel *septima* Bysii ipsius, hoc est Munichionis Attici, die celebratos esse: quod cum superiori Thucydidis testimonio miri-

rifice conſpirat, qui inducias Pythiorum cauſſa obſervatas ante viceſimam quintam Elaphebolionis Attici diem incepiſſe demonſtrat; adeoque non obſcure ſignificat Pythicos Ludos proxime poſt illam Elaphebolionis diem incidiſſe. Addi poſtremo etiam poterit quod fortaſſe Pythia eodem illo tempore facile peragi, vel celebrari conſueverant, quo vernus Amphictyonum Conventus habebatur; ut ſacra nimirum, ac ſolemnis illa Ludorum celebritas, quae ab Amphictyonum conſeſſu decreta, vel inſtaurata iam fuerat, proxime in dies, vel tempus illud incideret, quo Amphictyones, ſive Pylagorae ad Pylas, vel Delphicum Templum conveniebant. At vernus ille Amphictyonum conſeſſus veris initio habebatur, ut teſtatur Pauſanias (1); atque ineunte ſolum Elaphebolione menſe peragebatur, ut eximio Demoſthenis teſtimonio opportunius alibi oſtendi (2); ergo Pythici Ludi, ſi vernum illum Amphictyonum conventum proxime, ut videtur, exceperint, ad Elaphebolionis finem, ſive potius ſequentis Munychionis initium referri debent. Itaque praeclare feliciterque Dodvellus Byſium menſem non Thargelioni, ut immerito Scaliger (3) exiſtimaverat, ſed Munychioni menſi reſpondiſſe putavit (4); Pythicoſque Ludos non *prima*, ut alibi Dodvellus ipſe iam dixerat, ſed *ſeptima* potius Byſii menſis die celebratos fuiſſe coniecit: (5) quod nimirum Pindari Scholiaſtes perſpicue diſerteque de Apolline dixerit ἀποκτείνας τὸν ὄφιν τὸν Πυθῶνα, ἀγωνίζεται τὸν Πυθικὸν Ἀγῶνα κατὰ ἑβδόμην ἡμέραν (6) *cum Pythonem ſerpentem occidiſſet, Agonem Pythicum ſeptima die celebravit*.

XIII. Ceterum an una eademque die omnis Pythiorum celebritas abſolvi, peragique conſueverit, an vero potius varios, pluresque dies occupaverit, adeoque in *primam*, vel *ſeptimam* quoque, ſi libeat, Munychionis Attici diem Ludorum finis, aut initium inciderit, definiri non poteſt. Suſpicor tamen, longeque veriſimilius exiſtimo Pythiades, Olympiadum inſtar, non unica, ſed pluribus diebus peractas eſſe; idque ex ipſo certaminum numero, ac varietate deduci poſſe putaverim. Siquidem

I. Pythiade, quam in Olymp. XLVIII. an. 3. incidiſſe iam diximus, non modo cantus ad citharam, qui iam obtinuerat, ſed

(1) In Phocic. (2) Faſt. Attic. Diſſert. III. Numer. 24. (3) Emend. Temp. Lib. I. pag. 52. (4) Diſſert. V. Sect. 2. & Pag. 799. (5) Pag. 779. (6) Argum. I.

ſed tibiae quoque, ſimulque cantus ad tibiam eſt uſurpatus, eademque prorſus certamina ſunt inſtituta, quae in Olympicis Ludis, quadrigis tamen exceptis, adhibebantur; niſi quod Pueri ſolum tum δολίχῳ tum διαύλῳ, hoc eſt tum *longiore*, tum *iterato* curſu certabant. (1)

II. Pythiade, qua certamen coronarium evaſiſſe diximus, auloedorum quidem certamen abolitum eſt; ſed equorum tamen, quadrigarumque curſus adiectus fuit.

VIII. Qui aſſis fidibus, hoc eſt ſine chori voce, canerent ſunt inſtituti.

XXIII. Armatorum curſus acceſſit.

XLVIII. Bigis certari coeptum.

LIII. Pullis ad currum iunctis decurſum eſt.

LXI. Puerorum Pancratium eſt inſtitutum.

LXIII. Pullus iniugis inter Pueros receptus fuit.

LXIX. Pullorum Bigae admiſſae fuerunt.

Denique non equiriis ſolum, gymnicis, muſiciſque certaminibus, ſed picturae quoque contentione Pythicos Ludos exornatos fuiſſe, idque vel ipſa Phidiae aetate obtinuiſſe, facile ex Plinio deprehendit Faber (2), qui Panaeum Phidiae fratrem omnium primum cum Timagora Chalcidenſi *picturae certamine* contendiſſe, atque ab eo Pythiis ſuperatum eſſe teſtatur; (3) idque in Iſthmicis etiam Plinius, in Olympicis vero obtinuiſſe Lucianus (4) aſſerit. Itaque tanta Ludorum varietas ferre vix poterat ut ipſorum ſingula una eademque die commode peragerentur; adeoque veriſimilius eſt certe Pythiorum celebritatem pluribus diebus abſolvi conſueviſſe. Qua vero ſerie, vel ordine certamina committerentur divinari certe vix poterit. Id unum ex Pindaro deprehendiſſe videor quod ſtadii, diaulique curſus una, eademque die committebatur; cum Pindarus ipſe diſerte dixerit quod Theſſalus

Πυθοῖτ' ἔχει ςαδίυ τιμὰν,
Διαύλυθ' ἁλίῳ ἀμφ' ἑνί. (5)

*In Pythiis etiam habet ſtadii honorem,*
*Diaulique ſole*, hoc eſt die, *in uno*.

XIV. Quaecumque vero de Pythiis illis hic diximus, quae Del-

(1) Pauſan. Phocic. c. 7. (2) Agoniſt. Lib. II. c. 24. (3) Lib. XXXV. c. 9. (4) In Aëtione. (5) Olymp. XIII ver. 50.


Delphis celebrari consueverunt, cumque ceteris omnibus & antiquiora, & nobiliora merito censerentur, καθ' ἐξοχὴν *Pythiorum* nomine distinguebantur, facile de Pythiis etiam illis intelligi fortasse debent, quae in variis etiam Vrbibus aliis agebantur. Ita Pythiades Megarae celebratae a Philostrato memorantur (1). In Oxoniensi Marmore superius etiam laudato *C. Antonius Septimius Publius Citharoedus* vicisse dicitur Πύθια ἐν Δελφοῖς *Pythia in Delphis*, simulque Τραλλεῖς Πύθια *Trallibus Pythia*: (2) quod nimirum Trallibus etiam Pythici Ludi peragerentur, fortasse, ut coniecit Prideauxius, in Gymnasio, quod Strabone teste (3) terraemotus impetu prius collapsum sequioribus facile temporibus est instauratum. Ita quoque in Caracallae Numo conspicitur Κοινον Θρακων. Αλεξανδρι. Αιν. Φιλιππο. Πυθια; nimirum, ut interpretatur Scaliger (4): *Communia tria Thraciae*, scilicet *Alexandriae*, *Aeni*, *Philippopolis* celebrabant *Pythia* Thracica. Denique Pythia Mileti, Magnesiae, Side, Perge, Thessalonicae celebrata in eximio Marmore apud Sponium (5) occurrunt. Itaque dubitari certe non poterit quin in Vrbibus etiam illis Pythia agerentur; idque facile de Gentibus etiam aliis ostendi posset. Quemadmodum vero Ludos Olympicos, qui ceteros omnes splendore longissime superarunt, adulta iam, atque florente Christiana religione, quintoque Ecclesiae seculo ineunte sublatos, atque abrogatos esse iam diximus, ita quoque verisimillimum haberi poterit iisdem fere temporibus Pythicos etiam Ludos non Delphis solum, sed Trallibus etiam, alibique sublatos esse; quamvis id nullo Veterum testimonio ostendi possit. Certe Pythicos Ludos apud Delphenses ad Iuliani Caesaris aetatem pervenisse, ibique veteri solemnique pompa adhuc exhiberi consuevisse, ex ipsius Epistola *pro Argivis* erudimur; ubi, postquam dixerat quatuor esse celeberrimos in Graecia Ludos, subdit: πρὸς δὲ τέτοις Ἠλεῖοι μὲν, καὶ Δελφοὶ διὰ τῆς πολυθρυλλήτυ πενταετηρίδος ἅπαξ ἐπιτελεῖν εἰώθασι. διττὰ δὲ ἐςι Νέμεα παρὰ τοῖς Ἀργείοις, καθάπερ Ἴσθμια παρὰ Κορινθίοις: *Ad haec Elidenses quidem, & Delphi celeberrimae illius pentaeteridis*, vel quinquennii *spatii semel tantummodo celebritatem obire consueverunt; duplices vero sunt Nemeaei Ludi apud Argivos, sicuti apud Corinthios Isthmia.*

Ita-

(1) Vitae Sophist. (2) Marm Oxon. III. Pag. 70. (3) Strabo Libr. XII. (4) De Emend. Lib. V pag. 479. (5) Itiner Tom III. Pag. 222.

Itaque mirari certe quis poterit quod Dodvellus ipse, qui singula Veterum testimonia diligentissime consuluerat, superioremque Iuliani locum laudaverat, adeoque Pythicos Ludos, Olympicorum instar, *pentaetericos* esse iam dixerat, alibi tamen asseruerit quod *Pythii, similiter ut Nemei, atque Isthmii Ludi, trieterici erant* (1); cumque Pythicos Ludos secundis Olympiadum annis peractos esse putasset, iterum *Pythia anno Olympico quarto futura* (2) dixerit: quorum tamen utrumque ab innumeris, certisque Veterum testimoniis abhorret, quibus perspicue erudimur Pythicos Ludos non *trietericos*, sed *pentaetericos* solum fuisse; ipsosque non *secundis*, aut *quartis*, sed *tertiis* solum Olympicis annis celebratos esse perspicue satis contra Petavii, Dodvellique sententiam a me demonstratum esse confido.

(1) Differt. VII. Sect. 1. (2) Sect. 4.





# DISSERTATIO III.

## NEMEA.

I. 

Rchemorus, vel, ut alio nomine prius appellabatur, Opheltes Euphetae, & Creusae, sive potius Eurydices, & Lycurgi Nemeaeorum regis filius, cum ab Hypsipyle ipsius nutrice puerulus in prato relictus esset, a serpente occisus fuit. Leniendo nutricis, vel parentum dolori Heroes illi, vel Argivi reges, qui Adrasto duce Thebas obsidebant, prope Nemeaeum nemus, aut pagum, qui inter Cleonas, & Phlyuntem reperiebatur, funebres quosdam Ludos celebrarunt, in quibus Adrastus equo, Eteoclus cursu, caestibus Tydeus, cursu discoque Amphiaraus, Laodochus iaculo, lucta Polynices, arcu denique Parthenopaeus palmam retulit. Eiusmodi regum exemplo, vel etiam fortasse lege, funebres Agones ipsi posteris etiam aetatibus celebrati sunt: ipsorumque praesides, qui olim ex Corintho, Argis, & Cleonis eligebantur, lugubri, vel atra veste ornari, victorique corona ex viridi apio contexta concedi consueverat; ut ex Apollodoro (1), Pindarique Scholiaste (2) erudimur, qui Nemeaeorum originem accuratissime descripserunt. Haec ipsa quoque Nemeaeorum origo in Oxoniensi Marmore, sive Marmoreo Chronico memoratur, simulque tempus exprimitur, in quod primus Nemeacus Agon, adeoque Archemori mors, Thebanumque bellum inciderit. Etenim, ubi lacerae, mutilaeque Marmoris voces rite feliciterque, partim cum Palmerio, partim cum Prideauxio suppletae fuerint, in Epocha

XXIII.

(1) Biblioth. Lib. III. (2) Argum. in Nemea.

XXIII. ita legitur: Ἀφ᾽ ἧ Ἀργείων Ἐτέοκλος, Ἄδρασος, καὶ Ἀμφιάραος ἐβασίλευσαν, καὶ τὸν Ἀγῶνα ἐν Νεμέᾳ συνήθλευσαν πρῶτοι ἔτη 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΠΙΙ. βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Θησέως *Ex quo Eteoclus, Adrastus, & Amphiaraus Argis regnarunt, & in Nemea certamen primi celebrarunt, anni 987. regnante Athenis Theseo.* Itaque ex Marmoris huius hypothesi inter primam Nemeaeorum originem, atque Olymp. CXXIX. annum 1. quo Marmor ipsum sculptum fuit, 987. anni intercesserunt; adeoque Nemeaeus Agon Archemoro celebratus, sive ab Argivorum regibus institutus, 475. annis Olympiadem primam praecessit. Plurimi [1] tamen eiusmodi Ludos non a septem illis Argivorum ducibus, sed ab Hercule solum, postquam Nemeaeum leonem occiderat, institutos esse putarunt; aut certe, cum veteres Archemoro consecrati sensim obsolevissent, Agones alios ab Hercule constitutos, Iovique Nemeaeo dicatos esse dixerunt; quemadmodum certe Pindari aetate Ludos illos Iovi consecratos fuisse conspicimus. [2]

II. Verum quaecumque demum hypothesis in explicanda Nemeorum caussa, & origine seligatur, perspicuum est sane Agonem illum, sive Archemoro, sive Iovi sacer is fuerit, ita excidisse, ut Solonis aetate, sive Olympiade XLVI. neque solemni constantique ritu peragi, neque inter alios Graecorum Ludos haberi videretur. Etenim Solon Atheniensibus, qui in Olympicis Ludis victoriam adepti forent, *quingentas*, Isthmionicis vero *centum* drachmas Atticas veluti praemium constituit; nihilque tamen de Nemeonicis, vel Nemeaeorum victoribus ille decrevit: quod argumento sane esse poterit ipsius aetate Nemeacos Ludos intercidisse. Quo vero tempore vel restituti, vel instaurati illi fuerint definiri non potest. Eusebius quidem ad annum 1. Olymp LIII. scribit Νέμεα πρῶτον ἤχθη Ἀγὼν ὑπ᾽ Ἀργείων μετὰ τὴν ἐπ᾽ Ἀρχεμόρῳ *Agon Nemeacus primum actus ab Argivis post eum, qui sub Archemoro fuit*, sive potius *post eum, qui in honorem Archemori celebratus est*. Sed insignis ille Eusebii locus non ita intelligi profecto debet ut Nemeaci Ludi sub Archemoro primum, sive in Archemori funere celebrati, moxque Olympiade solum LIII. instaurati fuerint: perinde quasi secundus solum Nemeacus Agon in Olympiadem illam incide-

 rit.

(1) Schol. Pind. Arg. I. (2) Nemeae. II vers. 8.

rit. Itaque suspicor Eusebii verba sic intelligi, vel explicari fortasse posse quod Ludis illis initio Corinthii, Cleonaei, simulque Argivi; moxque, ut Pindaricus Scholiastes ait, Cleonaei, tandemque Corinthii soli praesederint (1); Olympiade vero LIII. Nemeacis Ludis Argivi soli praeesse coeperint; quemadmodum certe Iuliani Caesaris aetate non alii, quam Argivi, Nemeades ipsas curarunt (2). Fieri quoque fortasse potuit ut Nemeaci Ludi priscis illis temporibus vel incerti temporis, vel *pentaeterici* solum fuerint; atque Olympiade LIII. *trieterici* decreti sint; sive potius, cum ab Archemori, sive, si malis, Herculis aetate vel inglorii, vel infrequentes illi fuissent, Olympiadis LIII. anno 1. florentibus Argivorum rebus, magnifice instaurati, ceterisque sacris Graecorum certaminibus aequati fuerint.

III. Quamvis autem Nemea, Pythiorum instar, antiquissima fuerint; atque Olympiade LIII. proxime nimirum post Pythia, instaurata sint; Nemeades tamen ipsae sequioribus solum temporibus, Pindarique aetate numerari coeperunt; ut prima proinde Nemeas numerata post Olympiadem LXV. collocari debeat. Etenim vetus ille Pindari Scholiastes ait quod πένταθλον *pentathlum*, sive *quinquertium* in Nemeaeis Ludis *decimatertia* Nemeade institutum fuit; proximaque Nemeade *decimaquarta* Sogenes ille *quinquertio* victoriam retulit, qui a Pindaro Nemeaca VII. celebratur (3). Itaque, cum Pindarus exeunte anno 3. Olymp. LXV. in lucem prodierit, ut in Fastis Atticis demonstravi (4), ipsius Ode in Sogenem, Sogenisque victoria ante Olympiadem LXX. collocari certe non poterit; adeoque Nemeas illa, ex qua, veluti cardine, ceterae mox insequutae numerari coeperunt, Olympiade LXIV. antiquior esse non poterit. At neque Olympiade LXXIII. recentior, sive posterior esse illa potest. Siquidem Pindarus Olympiadis LXXX. anno 3. Bione Athenis Archonte, e vivis excessit (5); adeoque, si *decimaquarta* Nemeas, qua Sogenes palmam retulit, Pindaro superstite peracta fuit, prima Nemeas ante Olympiadem LXXIII. incidisse debuit. Hinc ego suspicor Olympiadis LXXII. anno 4. proxima nimirum Nemeade postquam celeberrima Mara-

(1) Argum. V. (2) Iulian. Epist. pro Argivis. (3) Argum. ad Neme. VII. (4) Differt. IX. Numer. 37. (5) Vid. Differt. IX. Num. 35.

rathonia pugna contigerat, Nemeacos Ludos ſplendidiori pompa, maiorique Graecarum gentium frequentia mirifice celebratos eſſe; adeoque Nemeadem illam, veluti Iovi Eleutherio, ſive Graecorum *Liberatori* ſacram, tanquam Nemeadem *primam* numeratam fuiſſe. Certe Pindaricus Scholiaſtes ait in Nemeacis Ludis poſt Marathoniam pugnam, quae in ſextam Boedromionis Attici diem anno 3. Olympiadis LXXII. certiſſime inciderat, victorum coronam variatam fuiſſe; cumque prius olea redimiri ſolerent, tunc apii coronam invectam eſſe: ἐϛέφοντο δὲ τὸ παλαιὸν ἐλαίᾳ· ὕϛερον δὲ μετὰ τὴν συμφορὰν τῶν Μηδικῶν, ἐπὶ τιμῇ τῶν κατοιχομένων, σελίνῳ (1). *coronabantur autem antiquitus olea, deinde vero poſt illatam a Medis calamitatem, in occiſorum honorem, apio*. Quod ſi non infeliciter id ego coniecerim, *decimaquarta* Nemeas, adeoque Sogenis victoria quinquertio parta, atque a Pindaro celebrata, in Gamelionem menſem anni 2. Olympiadis LXXIX. incidiſſet. Proxime fortaſſe poſt Sogenem, adeoque ineunte anno 4. Olymp. LXXIX. eamdem illam quinquertio victoriam retulerit Mantheus ille, cuius memoria, victoriaeque monimentum in eximio Marmore conſervatur, quod a doctiſſimo Viro Bimardo (2) nuperrime illuſtratum eſſe conſpicimus. Siquidem in illo characteribus βυϛροφηδὸν, hoc eſt partim recta, partim inverſa, vel retrograda ſerie diſpoſitis, ita legitur:

ΜΑΝΘΕΟΣ : ΑΙΘΟΥ : ΕΥ
ΙΠΕ: ΙΙΔ : ΙΕΤΣΙΡΑΧ
ΝΙΚΕΙ : ΠΕΝΤΑΘΛΟΥ
ΣΟΔΙΑΠ

*Mantheus Aethi* filius *donum*
*dat Iovi pro*
*victoria Quinquertio*
*puerili* relata.

Itaque, ut optime obſervavit Bimardus, cum in alio Marmore, quod ipſe quoque opportunius alibi expoſui, antiquior illa ſcribendi ratio, ſive alterna verſuum ſeries minime reperiatur, inferri facile poterit Olympiadis LXXX. anno 3. quo Marmor ipſum ſculptum fuit, recentem aliam ſcribendi methodum obtinuiſſe; adeoque ſuperius Marmor a Mantheo dedicatum, eiuſque

(1) Argum. III. (2) Diſſert. apud Murator. in Praef. ad Tom. I. Inſcript. pag. 36.

eiusque proinde victoriam quinquertio partam procul dubio ante annum 3. Olymp. LXXX. collocandam, seu referendam esse. Certe Bimardus ipse, Manthei victoriam quinquertii palma a Sogene omnium primo relata, atque a Pindaro celebrata posteriorem esse, adeoque post Olymp. LXX. contigisse voluit; neque tamen post Olympiadem LXXX. referri posse putavit, quod veterem illum scribendi morem Olympiade LXXX. sublatum esse censeret. Quamvis tamen haec ille subtiliter ingenioseque coniecerit, nihil est tamen cur ex sola characterum forma, sive retrogrado, vel alterno ipsorum ductu, Manthei Marmor post Olymp. LXXX. revocari non posse arbitremur. Etenim, licet prolixius Marmor illud, quod anno 3. Olymp. LXXX. Athenis positum fuit, non veterem, sed recentem illum scribendi morem exhibeat, fieri tamen fortasse potuit ut in aliis Graeciae Vrbibus, vel Athenis etiam ipsis vetus scribendi forma in brevioribus praesertim titulis usurpata subinde fuerit; quemadmodum certe in Numis aliquibus post Olymp. LXXX. cusis alternus ille, sive retrogradus literarum ordo conspicitur. Sed haec, aliaque id genus plura alterius certe loci esse debent. Id unum ex Pindari aetate accuratius, ut opinor, a me constituta, ceterisque, quae superius exposui, facile intelligi, vel inferri nunc poterit primam Nemeadem numeratam neque Olympiade LXV. antiquiorem, neque LXXIII. recentiorem esse: ut nimirum *quartadecima* Nemeas a Pindaro superstite, & ingenii gloria florente celebrari potuerit.

IV. Atque ista quidem de Nemeorum origine, ritibus, simulque tempore, quo Nemeades ipsae vel institutae, vel instauratae, vel denique numeratae fuerint. Ceterum Nemeades ipsas non *pentaetericas*, sed Isthmiadum instar *trietericas* solum fuisse, adeoque singulis Olympiadibus semel iterumque peragi consuevisse, perspicuis Statii, (1) Pindarici Scholiastae (2), Iuliani Caesaris (3), aliorumque testimoniis erudimur: quemadmodum certe Nemeades alias *aestivas*, *hybernas* alias fuisse nitide, diserteque Pausanias ipse demonstrat (4) ubi equestrem puerorum curriculum iteratum in *hybernis* Nemeis Hadriani Caesaris iussu restitutum asserit; adeoque Nemeades alias supponit, quas aesta-

(1) Thebaid Lib. IV. vers 722. & VII. ver. 94. (2) Argum. II. & V. (3) Epist. pro Argivis. (4) Eliac. II. c. 16. & Corinth. c. 15.

aeſtatis initio, ſive ineuntibus Olympiadis annis celebratas eſſe oſtendemus. Itaque id unum inquirendum, vel oſtendendum occurrit quo vere Olympiadis anno Nemeades, ſive *hybernae*, ſive *aeſtivae* illae fuerint, celebrari conſueverint: quod doctiſſimis etiam Viris hactenus obſcurum, atque incompertum eſſe demonſtrabimus. Doctiſſimus, atque immortalis Scaliger, cum in Euſebii Chronico Iſthmia quidem 3. Olymp. IL. Nemea vero anno 1. Olymp. LIII. celebrata, vel conſignata conſpiceret, Iſthmiadas, atque Nemeadas etiam *primis*, ſimulque *tertiis* Olympiadum annis, *ſed diverſis tamen menſibus*, redire, vel inſtaurari conſueviſſe putavit; (1) adeoque Diodorum deceptum eſſe contendit, qui Nemeorum agonem, Praxibulo Athenis Archonte, ſive anno 2. Olymp. CXVI. peractum eſſe teſtatur (2). Scaligero facem hanc praeferente Petavius Nemeadas *primis*, ac *tertiis* Olympiadum annis adſcripſit (3); quamvis in digerenda temporum, rerumque geſtarum ſerie Nemeades quaſdam in *quartis* Olympicis annis collocaverit. Denique Dodvellus, qui ſingula Nemeadum exempla ex Latinis, Graeciſque Scriptoribus accuratiſſime collegit, quamvis Nemeadas aliquando *ſecundis*, vel *quartis* Olympiadum annis celebratas, vel memoratas eſſe concederet; aſſerit tamen quod *ex variis exemplis, qua quidem ſibi invicem conſentiunt, apparet Olympiadum annis primis, & tertiis fuiſſe Nemea*; (4) adeoque Nemeades illas, quae in alios fortaſſe Olympiadum annos inciderint, vel perperam a Scriptoribus collocatas, vel alieno potius tempore celebratas eſſe arbitratur. Ita vero trietericos Ludos illos in Olympicis annis diſtributos eſſe contendit ut Nemeades ipſae alterne aeſtivae, hybernaeque forent: cumque varia ipſarum exempla protuliſſet, ait: *inde conficimus Nemea annorum Olympicorum tertiorum aeſtiva fuiſſe, nec ab aeſtatis etiam initio admodum remota ... &, ſi aliqua Nemea fuerint hyberna, ea primorum fuerint oportet annorum Olympicorum: Nec ſane aliter ſe rem habuiſſe veriſimillimum eſt* (5). Quandoquidem vero Petitus ex Ariſtotelis verbis πρότερον Νέμεα τῶν Πυθίων (6) *prius Nemea quam Pythia* collegerat (7) Nemeades ante Pythiades celebrari; adeoque, cum Pythia *ſecundis* Olympiadum annis agerentur, intulerat Nemea quo-

(1) Ad annum 1435. 1449. 1821. & de Emend. Tempor. Lib I. (2) Lib. XIV c 74 (3) De Doctr. Temp. Lib. 1. c. 33. (4) Diſſert. VII. Sect. 1. (5) Sect 2. (6) Metaphyſ. Lib. IV. c. 11. (7) Ad Leges Attic.

quoque in *secundos* ipsos incidere; plurima subtiliter excogitavit Dodvellus [1] ut Pythicos quidem Ludos *secundis*, (sic enim ille cum Petito, ceterisque putaverat) Nemeacos vero *tertiis* Olympiadum annis celebratos esse defenderet. Itaque, cum principes illi, maiorumque gentium Chronologi Nemeadas primis, tertiisque Olympicis annis concesserint, mirari certe non possumus si ceteri Scriptores, ac Interpretes omnes ipsorum vestigiis institerint; adeoque hac in parte mirifice conspirent. Quamvis autem clarissimos Viros illos suspicere, atque admirari consueverim, ubi tamen in definiendo Pythiorum tempore ipsorum singulos deceptos esse conspexi, suspicari subinde coepi quod in asserendis etiam Nemeadum annis aberraverint; adeoque Nemeadum exempla a Cl. Dodvello proposita subtilius adhuc exploranda fore putavi, ut ipsorum tempus accuratiori certiorique methodo, si fieri id quidem poterat, ostenderetur. An ex voto mihi, feliciterque res cesserit, alii viderint. Ex pluribus certe, melioribusque Nemeadum exemplis satis aperte deprehendisse videor, atque ostendi posse putaverim Nemeades ipsas non *primis*, ac *tertiis*, sed *secundis* potius, & *quartis* Olympiadum annis peragi consuevisse; ut ineuntibus nimirum *quartis* aestivae Nemeades agerentur, hybernae vero in *secundos* fere exeuntes inciderent.

V. Ac initio quidem illustre quoddam Nemeadis exemplum afferam perspicuis adeo, certisque temporum characteribus insignitum, ut nullus propemodum ambigendi locus superesse videatur an aestivae Nemeades ineuntibus *quartis* Olympiadum annis celebrari consueverint. Polybius res in Italia, Graecia, Syriaque gestas anno 3. Olymp. CXL. accuratissime describens asserit quod Philippus Macedonum rex Thebarum urbem obsedit, eodemque tempore, quo Thebana civitas obsidebatur, Hannibal ingenti clade Romanos ad Trasymenum lacum superavit; eiusque cladis nuncium Philippus Argis accepit, quo, captis iam Thebis, ad Nemea Festa convolaverat: Α'υτὸς δὲ κατὰ σπουδὴν ἧκε μετὰ φίλων ἐπὶ τὴν τῶν Νεμέων πανήγυριν εἰς Α"ργος. Α"ρτι δ' αὐτοῦ θεωμένου τὸν ἀγῶνα τὸν γυμνικὸν, παρῆν ἐκ Μακεδονίας γραμματοφόρος διασαφῶν ὅτι λείπονται Ρ'ωμαῖοι μάχῃ μεγάλῃ, καὶ κρατεῖ τῶν ὑπαίθρων Α"ννίβαλ: [2] *ipse cum amicis Argos ad Nemeorum Ludorum conventum citatim con-*

(1) Sect. 3. (2) Lib. V. pag. 439.

*contendit. Spectabat ibi cum maxime certamen gymnicum quando advenit e Macedonia tabellarius victos Romanos memoranda pugna nuncians, & Hannibalem, quaecumque extra munitiones essent, omnia obtinere.* Ingens illa Romanorum clades ad Thrasymenum lacum ad annum V. C. 537. Varr. certissime referri debet, quo *tertius* Olympiadis CXL. desinere, simulque proxime *quartus* incipere debebat, ut accuratissime, invicteque demonstravit Petavius (1); cum praesertim cladem illam solis eclipsis a Livio (2) memorata praecesserit, quae *undecima* Februarii Iuliani die anno 3. Olymp. CXL. V. C. 537. contigerat. Itaque, cum Hannibal *vere*, adeoque *tertio* Olympiadis anno iam exeunte, Romanos superaverit, victoriae nuntius in Macedoniam venire, atque exinde Argos contendere non potuit priusquam ver ipsum excederet. Ergo, si Philippus Nemeorum tempore nuncium illum accepit, Nemea illa vel exeunte *tertio*, vel ineunte *quarto* Olympiadis anno celebrari debebant; sed exeunte anno *tertio* Nemeades nullae esse poterant, cum hybernae quidem ante vernum tempus, aestivae vero duodecima Panemi, hoc est, ut inferius ostendam, Hecatombaeonis Attici die peragerentur; ergo Nemeorum Ludicrum, cui Philippus intererat, ad ineuntem *quartum* Olympiadis annum manifestissime referri debet. Video quidem Polybium haec omnia ita simul complecti: perinde quasi pax a Philippo Aetolis, atque Achaeis concessa, adeoque Nemea, quae inita iam pace peracta fuerant, ad *tertium* Olympiadis annum spectaverint. Ait enim: Ταῦτα δὲ πάντα συνέβη γενέσθαι κατὰ τρίτον ἐνιαυτὸν τῆς ἑκατοστῆς καὶ τετταρακοστῆς ὀλυμπιάδος. λέγω δὲ τὴν τῶν Ρωμαίων περὶ Τυῤῥηνίαν μάχην, καὶ τὴν Ἀντιόχου περὶ Κοίλην Συρίαν, ἔτι δὲ τὰς Ἀχαιῶν καὶ Φιλίππου πρὸς Αἰτωλοὺς διαλύσεις. (3) *Gesta autem omnia haec sunt, Romanorum inquam pugna in Etruria pugnata, Antiochi bellum pro Coela Syria, & Achaeorum, ac Philippi pax cum Aetolis, Olympiadis centesimae quadrigesimae anno tertio.* At ex perspicuis illis Polybii verbis id unum certissime deduci debet quod Romanorum clades, Thebarum occupatio, ipsa denique pax a Philippo, Thebis iam captis, Aetolis concessa contigerant antequam *tertius* Olympiadis annus excederet. Nemeacos tamen Ludos eodem ipso Olympiadis anno peractos esse quis dixerit, cum Hecatombaeo-



(1) Doctr. Temp. Lib. IX. c. 47. & Lib. I. c. 33. (2) Lib. XXII. (3) Lib. V. Pag. 412.

ne mense, adeoque non exeunte, sed ineunte solum Olympiadis anno committerentur; eosque pace iam constituta posteriores fuisse Polybius ipse fateatur? Itaque fallitur Casaubonus, qui Romanorum cladem, simulque Nemea anno 3. Olymp. CXL. contigisse voluit; quemadmodum certe clarissimum Virum in contexenda Achaicorum Praetorum serie a Polybii mente diffidere, adeoque subinde deceptum esse conspicio. Ita Timoxenem Achaeorum Praetorem fuisse dicit anno 2. Olymp. CXXXIX. cum tamen ex Polybii calculo Timoxenes ille exeunte solum anno 3. imperium susceperit. Siquidem Polybius ipse nitide, diserteque testatur (1) Achaeos ineunte vere, vel circa ortum Pleiadum, magistratum inire consuevisse; Aetolos vero ineunte autumno, sive circa autumnale aequinoctium; simulque docet Aratum seniorem, qui certissime durante Aristonis anno (2), & exeunte fere *quarto* Olympiadis anno (3) imperium suscepit, proxime Timoxeni successisse. Itaque Praetorum illorum series ex perspicua Polybii mente ita contexi, certissimeque componi debet:

| *Achaei* | *electus* | | Olymp. | *Aetoli* | *electus* | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. Timoxenes | *exeunte* | 3. | | 1. Ariston | *ineunte* | 4. |
| 2. Aratus sen. | *ex.* | 4. | 139 | 2. Scopas | *ineun.* | 1. |
| 3. Aratus iun. | *ex.* | 1. | | 3. Dorimachus | *ineun.* | 2. |
| 4. Eparetus | *ex.* | 2. | 140 | 4. Agetor | *ineun.* | 3. |
| 5. Aratus sen. | *ex.* | 3. | | 5 Agelaus | *ineun.* | 4. |
| 6. Timoxenes | *ex.* | 4. | | | | |

Exinde vero perspicue apparet pacem Aetolis a Philippo ineunte Arati senioris anno, hoc est exeunte 3. Olymp. CXL. concessam fuisse: quemadmodum Polybius ipse testatur (4) inita iam pace Agelaum ideo ab Aetolis comitiis proximis Praetorem electum esse quod in promovendis pacis consiliis praeclare de universa Aetolorum Republica meritus foret; atque ab Achaeis Timoxenem iterum, ὡς θᾶττον ἀπέθεντο τὸν πόλεμον (5) *ut primum bello sunt defuncti*, Praetorem creatum fuisse, ultimo nimirum Olymp. CXL. anno, quo ineunte Nemeadem illam celebratam esse iam diximus. Itaque cum Nemeas ista perspicuis adeo, certisque characteribus insignita sit, nec ab ineunte 4. Olympiadis an-

(1) Lib IV. Pag. 305. & V. initio. (2) Lib. IV. Pag. 275. & 276. (3) Pag. 284. (4) Lib. V. Pag. 444 & 450. (5) pag. 443.

anno divelli possit, id optime certissimeque deduci iam poterit Nemeadas etiam alias ineuntibus *quartis* Olympiadum annis peragi consuevisse; nisi fortasse quis temere suspicetur Nemeadem istam non stato, legitimoque, sed alieno tempore celebratam fuisse. Id libere quidem, nitideque Dodvellus hic asserit; ubi, Nemeadas *alieno tempore* celebratas enumerans, ait talia fuisse *Nemea, quibus aderat Rex Philippus cum nuncium de Hannibalis victoria Cannensi acciperet: nempe, ut docet Livius, anno V. C. Varroniano* 538. *qui cum Olympiadis CXXXIX.* 4. *&* *CXL.* 1. *concurrebat* [1]. At clarissimo, doctissimoque Viro insignis error obrepsit, quo perspicuam temporum seriem, nescio quo fato, mirifice perturbaret. Etenim, Livio, Polybioque teste, victoria, quae Philippo Nemea spectanti nunciata fuit, non ad Cannas, sed ad Thrasymenum ab Hannibale parta fuerat; adeoque non ad annum V. C. 538. quo Cannensis certe pugna contigerat, sed ad superiorem 537. hoc est $\frac{1}{4}$ Olymp. CXXXIX. certissime referri debet: quemadmodum cladem illam, quae Philippo regi nunciata fuit, atque Nemea praecessit, *tertio* Olympiadis anno contigisse planissimis Polybii verbis ostendi.

VI. Superiori Nemeadis exemplo alterius etiam exemplum accedat, quae perspicuo Polybii ipsius testimonio ineunte 4. Olympiadis anno peracta fuerit. Narrat Polybius Antigonum Macedoniae regem Argis hyemasse; cumque Cleomenes Lacedaemoniorum rex comparato exercitu in Argivorum fines excurreret, Antigonum ipsum ἅμα τῷ τὴν ἐαρινὴν ὥραν ἐνίςασθαι [2] *ineunte statim vere* Argis in Laconiam contendisse: Cleomenem ingenti praelio ab Antigono superatum in Aegyptum profugisse; Antigonum vero, occupata iam Lacedaemone, iterum Argos Nemeorum tempore concessisse: ἐπ' αὐτὴν ἦλθε τὴν τῶν Νεμέων πανήγυριν [3] *sub ipsum Ludicri Nemeaci tempus pervenit*. Peracto Nemeorum Ludicro subdit Polybius Antigonum in Macedoniam, quae ab Illyriis occupata fuerat, convolasse, ibique Olympiade CXXXIX. qua Seleucus etiam Syriae, & Ptolemaeus Aegypti reges excesserunt, obiisse. Perspicua rerum temporumque series hic postulat ut Antigoni mors, ac Philippi regis initium ad annum 4. Olymp. CXXXIX. referatur; ut accuratissime a Petavio factum conspicimus. Ac certe, ut cha-



(1) Libr XXII. c. 35. (2) Lib. II. Pag. 151. & 152. (3) Lib. II. Pag. 154.

racteres alios a Petavio observatos praeteream, narrat Polybius Spartanos, audita Cleomenis morte, Agesipolin elegisse postquam σχεδὸν ἤδη τρεῖς ἐνιαυτὺς μετὰ τὴν Κλεομένυς ἔκπτωσιν [1] *tertium iam fere annum a Cleomenis fuga* sine Regibus fuerant. Itaque, cum Agesipolis, Scopa Aetolorum Praetore, & exeunte iam anno 1. Olymp. CXL. regnum susceperit, Cleomenis fuga, sive Antigoni victoria ad ver anni 3. superioris Olympiadis referri debet; adeoque Nemeaci Ludi post Antigoni victoriam, & ante ipsius mortem celebrati non alterius, quam ineuntis *quarti* Olympiadis, anni esse possunt.

VII. At, ne subobscuris eiusmodi, vel ambiguis fortasse temporum characteribus hic uti videar, clarioribus argumentis aliis ostendam Cleomenis fugam exeunte *tertio* Olympiadis anno certissime contigisse, adeoque Nemeacos Ludos, Antigoni, ac Evergetis mortem, Philippi, ac Philopatoris initium ad annum *quartum* referendum esse. Plutarchus res ab Arato, & Cleomene gestas accuratissime describens, easque ex Polybio, atque Arati Commentariis excerpens asserit Aristomachi Praetoris anno Cleomenem ad Palantion copias eduxisse, Aratique fraude, sive consilio factum esse ne Aristomachus copias illas invaderet. [2] Comitiis proximis Aratum ipsum, reluctante licet Lysiade, Praetorem duodecimo electum esse, Mantineam occupasse; sed a Cleomene tamen prope Lyceum, ac Laodiciam superatum esse. [3] Mox Hyperbati Praetoris anno Cleomenem ipsum de Achaeis victoriam ad Dymam, & Hecatombeum maximo cum Arati dedecore retulisse. Tum Plutarchus ipse, qui de Arato iam dixerat: ἀυτὸς μὲν γὰρ παρ' ἐνιαυτὸν ἦρχε *ipse alternis annis imperavit*, subdit ἐιωθὼς δὲ ςρατηγεῖν παρ' ἐνιαυτὸν, ὡς ἡ τάξις ἀυτῷ περιῆλθε, καλύμενος ἐξώμοσατο, ϗ Τιμόξενος ἡρέθη Στρατηγὸς [4]; *solitus autem alternis annis Praetura fungi, ut vices suae rediere, & vocatus est, eiuravit Praeturam, & Timoxenus electus est Praetor*. Huius Timoxeni Praetoris anno narrat Plutarchus Cleomenem ab Antigono, quem Aratus ex Macedonia iampridem acciverat, prope Sellasiam superatum esse, atque in Aegyptum, antequam Evergetes moriens Philopatori regnum relinqueret, confugisse [5]: tandemque res post Antigoni..

(1) Lib IV. pag. 3?4. (2) In Arato & in Agide. (3) In Arato & Agide. (4) In Arato. Vid. etiam in Agide. (5) In Arato.

goni mortem ab Arato gestas describens ait: τελευτήσαντος δὲ Ἀντιγόνου . . . Ἄρατος ἀγανακτῶν, ϰ τὸν στρατηγοῦντα τότε τῶν Ἀχαιῶν Τιμόξενον ὁρῶν ὀκνοῦντα, ϰ διατριβοῦντα τὸν χρόνον, ἤδη τῆς στρατηγίας αὐτῷ τελευτώσης αὐτὸς ᾑρημένος ἄρχειν μετ' ἐκεῖνον, προέλαβεν ἡμέραις πέντε τὴν ἀρχὴν ἕνεκα τοῦ βοηθῆσαι Μεσσηνίοις. (1) *defuncto Antigono . . . Aratus moleste ferens, & eum, qui Praeturam Achaeorum id temporis obtinebat, Timoxenum cernens socordem, & tempus terentem, sub finem Praeturae eius, cum esset ipse successor declaratus, magistratum quinque dies, quo suppetias ferret Messeniis, anticipavit.* Qui perspicuam hanc temporum, rerumque seriem a Plutarcho traditam accurate perspexerit, ipsamque a Polybio quoque maxima ex parte acceptam intellexerit, dubitare certe non poterit quin Antigoni victoria, Cleomenisque clades ad Sellasiam, Cleomenis fuga in Aegyptum, ipsa denique Antigoni, ac Evergetis mors in Timoxeni Praetoris annum inciderit; adeoque, cum Timoxenes magistratum illum exeunte solum anno 3. Olymp. CXXXIX. susceperit, ut superius ostendi, Antigoni victoria ad extremos anni *tertii* dies, Nemeique Ludi victoria parta celebrati ad ineuntis anni proximi Hecatombaeonem certissime referri debent. Itaque hyberna duo, quae, Polybio teste, Antigonus egit in Graecia, non ad *primum*, & *secundum* Olympiadis annum spectaverint, quod volebat Dodvellus; sed ad *secundum* potius, ac *tertium*: ut nimirum exeunte fere *secundi* hyeme copias Antigonus prope Corinthi, Sicyonisque fines eduxerit, postquam Cleomenes Argivorum urbem in ipsa Nemeorum celebritate occupaverat, adeoque Cleomenicum bellum, quod biennii tempore duravit, primum exarserat. Ergo Nemeas illa, quae pacatis in Graecia rebus ab Argivis stato solemnique tempore peragebatur, hyberna esse debuit, atque ad medium fere *secundum* Olympiadis annum spectaverit, postquam Aratus exeunte 1. Olympiadis anno Achaeorum Praetor electus, adhuc Antigono infestus, Corinthum occupaverat.

VIII Facile vero iam dirimi, refellique poterunt quaecumque Dodvellus, subtiliter ille quidem, hic protulit, ut Cleomenici belli initium, simulque primam Nemeadem anno *primo*; Cleomenis vero fugam, aestivamque Nemeadem ineunte *secundo* Olymp.

(1) In Arato.

Olymp. CXXXIX. contigisse ostenderet. Observat ille quod medium inter duo Antigoni hyberna annum, quo certe Cleomenes, Polybio teste (1), Megalopolim occupavit, cum *trigesimo* Philopoemenis anno nectit Plutarchus (2). Itaque, cum Philopoemenes, Plutarcho ipso teste, *septuagesimo* aetatis anno e vivis excesserit, eiusque mors, ut auctor est Livius (3), in annum V. C. Var. 571. hoc est $\frac{1}{2}$ CXLIX. Olymp. inciderit, *trigesimus* aetatis annus in annum V. C. Var. 531. sive $\frac{1}{2}$ Olymp. CXXXIX. incidisse debuit; adeoque Nemeadum altera ad *primum*; ad *tertium* altera manifestissime referri debet. Accedit etiam quod Plutarchus (4) ipse Cleomenicum bellum cum 33. πολιτείας Arati componit; adeoque, cum Aratus Praeturam *primam* ex Polybii calculo anno $\frac{1}{2}$ Olymp. CXXXI. gesserit, *annus* 33. *labens erit Olymp. CXXXIX.* $\frac{1}{2}$. *Quod scilicet, paullo antea quam annus Olympiadis secundus inierit, Praeturam inierit Aratus: anno scilicet eodem desinente, quo medio fuerunt Nemea; sed post priora tamen Antigoni hyberna* (5). Nollem clarissimum doctissimumque virum obscuris adeo, atque ambiguis temporum characteribus institisse. Quis enim facile cum Dodvello dixerit an *trigesimus* annus ille a Plutarcho expressus inchoatus solum, an completus etiam exactusque iam fuerit; adeoque ad annum $\frac{1}{2}$ non vero potius ad $\frac{2}{3}$ referri ille debeat? Quis coniicere, vel divinare unquam poterit an *trigesimus tertius* πολιτείας annus, qui in Cleomenicum bellum inciderat, ad initia belli, vel finem potius spectaverit? Tantum certe abest ut Arati Praetoris annos accurate Dodvellus ex Plutarcho, Polybioque digesserit, ut perspicue potius ab utriusque mente aberraverit. Siquidem Aratus, Plutarcho ipso teste, post Aristomachum Praetor *duodecimum* electus fuit; idque certissime exeunte anno *primo*, cum nondum Cleomenes Argos occupasset, adeoque nondum Nemea peracta forent, nondumque Antigonus in Graeciam advenisset.

IX. Longe tamen clarius, atque, ut ingenue fatear, vividius est argumentum aliud, quo Cleomenis fugam, Evergetis mortem, ac Philopatoris initium ineunte *tertio* Olympiadis anno contigisse probat Dodvellus: quod nimirum in accuratissimo

(1) Lib. II. (2) In Philopoem. (3) Lib. XXXIX. (4) In Arato & Agide. (5) Dissert. VII. Sect. 1.

mo Aſtronomorum Canone Thot anni Nabonaſſarei 527. hoc eſt V.C. Var. 532. & $\frac{3}{4}$ Olymp. CXXXIX. cuius initium in 18. Octobris Iuliani, adeoque 19. Maemacterionis Attici diem inciderat, non Evergeti, ſed Philopatori concedatur; unde concludit Dodvellus: *inde conficimus Nemea annorum Olympicorum tertiorum aeſtiva fuiſſe; nec ab aeſtatis etiam initio admodum remota. Itaque, ſi aliqua Nemea fuerint byberna, ea primorum fuerint oportet annorum Olympicorum. Nec ſane aliter ſe rem habuiſſe veriſimillimum eſt* [1]. Atque optime id ille quidem, ſubtiliter, accurateque oſtendiſset, ſi Thot Philopatoris & ipſius initio, & Evergetis morte poſterior eſſe deberet, ut Petavius, ac Dodvellus ipſe putaverat. Ita nimirum Cleomenis fuga, Nemeorum Ludicrum, Evergetis mors, ac Philopatoris ipſius initium ad ineuntem *tertium* Olympiadis annum referenda forent, ante nimirum quam 18. Octobris die novus ille Philopatoris Thot inciperet. Clariſſimi tamen Petavii, Dodvellique pace Thot Philopatoris in accuratiſſimo Aſtronomorum Canone non alium eſſe putaverim, quam qui Philopatoris ipſius initium, adeoque Evergetis mortem proxime praeceſſit; a quo nimirum annus ille incepit, quo labente, atque exeunte fere Philopater Evergeti ſucceſſit. Facile id primum ex Plutarchi, Polybiique calculo deprehendi poterit, quo perſpicue, ſimulque certiſſime demonſtratur Evergetem ad Timoxenis Praetoris annum, adeoque exeuntem *tertium* Olympiadis annum perveniſſe, ut proinde Canonis auctoritas, atque ſententia in ſenſum illum inflecti debeat, qui cum graviſſimo Plutarchi teſtimonio conſpiret. Deinde vero, ne coniecturis aliis hic immorer, perſpicuum exemplum aliud hic proferam, quo certe oſtendatur aliorum quoque Regum annos, ſive Thot, hac ipſa methodo deſignari, vel indicari conſueviſſe. Thot Philippi, vel annus ille, a quo haec Aera ducitur, *duodecima* Novembris Iuliani die anno 1. Olymp. CXIV. ac P. I. 4390. certiſſime incepit, ut Scaliger [2], Petavius [3], Dodvellus [4], ceterique Scriptores omnes una veluti voce teſtantur; ut proinde primus Philippi annus cum 425. Nabonaſſari anno concurrerit. Tantum autem abeſt ut Alexandri mors, Philippique regis initium Thot illum praeceſſerit, ut ſex fere men-

(1) Sect. 2. (2) De Emend. Temp. Lib. V. Pag. 415. (3) Doctr. Temp. Lib. X c. 33. (4) Differt. VII. Sect. 1. & 2.

mensibus posterior esse debuerit. Quamvis enim Petavius (1), ac Scaliger (2) Alexandri mortem ineunte 1. Olympiadis anno, hoc est Hecatombaeone mense anni P. I. 4390. contigisse velint, idque ex celeberrimo Demosthenis loco deducant, quem ipse omnium primus depravatum esse manifeste ostendi, perspicuum est tamen Alexandri mortem in 28. (3) Daesii Macedonici, sive Thargelionis Attici diem (4), adeoque exeuntem fere Olympiadis annum, hoc est annum P. I. 4391. incidisse, postquam Alexander ipse, qui Plutarcho teste *sexta* Loi Macedonici, Atticique Hecatombaeonis die in lucem prodierat, 32. annos, atque 8. menses exegerat (5), ut nitide diserteque testatur Arrianus. Ergo Thot Philippi, sive celeberrimus Aerae cardo, quae Censorino teste (6) *ab excessu Alexandri* ducitur, Alexandri mortem, ac Philippi Arrhidaei initium praecessit, hoc est Philippo annus ille, seu Thot, veluti *primus*, tribuitur, qui proxime Alexandri mortem, Philippique initium praecessit. Quid itaque prohibet quin Philopatori quoque Thot ille veluti proximus in Astronomorum Canone concedatur, qui proxime Evergetis obitum, ac Philopatoris eiusdem initium proxime antecessit; adeoque, licet Thot ille, quo 102. Philippi annus incepit, in 18. Octobris Iuliani diem anni 3. Olymp. CXXXIX. inciderit, Evergetis tamen mors, ac Philopatoris initium ad ineuntem potius 4. Olympiadis annum referatur; paullo nimirum post quam Cleomenes ab Antigono superatus in Aegyptum concesserat, atque Antigonus ipse victoria parta Nemeorum Ludos inspexerat? Hac sane methodo Canonis, Plutarchi, Polybiique testimonia mirifice conspirarent; neque sola, & ambigua illa certe Canonis auctoritate celeberrima quaestio dirimeretur, quod a Dodvello factum esse conspicimus.

X. Nemeadis etiam alterius, quae in *quartum* Olympiadis annum inciderit, atque Macedonum Regis auspicio peracta fuerit, exemplum Livius conservavit. Siquidem res *M. Marcello*, & *T. Quinctio Crispino* Coss. in Graecia gestas describens ait Philippum Macedonum Regem cum Achaeis contra Machanidam Lacedaemoniorum tyrannum *eadem aestate* feliciter dimicasse; cumque victoria parta Argos venisset, *curationem Hereorum*,

(1) Lib. X c. 33. & 34. (2) Lib. I. Pag. 84. (3) Plutar. in Alexan. (4) Aelian. Var. Hist. Lib. XII.
(5) Vid. Dissert III. Num. 20. (6) De die Natali c. 18.

*rum*, *Nemeorumque suffragiis Populi ad eum delatam* fuisse, *quia se Macedonum reges ex ea Civitate oriundos referunt*. Hereis celebratis induciarum tempore ad concilium, quod ineundae pacis caussa indictum fuerat, contendisse; infectaque re Philippum *ipsum ab eo Concilio Argos regressum* esse: *iam enim Nemeorum appetebat tempus, quae celebrari volebat praesentia sua*.(1) Itaque dubitari certe non poterit quin Nemeas illa Argivi Populi suffragiis indicta stato, solemnique tempore peracta fuerit; idque non alio, quam aestatis, tempore contigisse exinde quoque deprehendisse videor quod Attalus Asiae rex, *ad quem Aetoli summum Gentis suae magistratum proximo concilio*, hoc est superiori autumno, *detulerant*, nondum annuo magistratu illo excesserat; Cycliades vero Nemeorum tempore iam summus Achaeorum magistratus, aut Praetor electus erat, quod ineunte vere iuxta Achaeorum morem contigerat. Quod autem Nemeas, ac aestas illa in *quartum* Olympiadis annum ineuntem inciderit ex ipso Livio manifestissime deduci potest; Etenim *exitu huius anni*, dum Attalus rex, ac Sulpicius Romanorum Praetor Aeginae hybernabant, Romae novos Consules electos esse testatur *C. Claudium Neronem*, & *M. Livium Salinatorem*: simulque a Senatu decretum *ut L. Manlius trans Mare Legatus iret, viseretque quae res ibi gererentur: simul quod Olympiae Ludicrum ea aestate futurum erat, quod maximo coetu Graeciae celebratur*; quemadmodum sequenti Libro XVIII. Olympicos Ludos illos celebratos esse testatur, postquam Sulpicius Aeginam classem receperat, unde initio veris profectus erat. Ergo Nemeaci Ludi, qui statos solemnesque Olympicos Ludos integro anni spatio praecesserant, ad ineuntem *quartum* Olympiadis annum certissime referri debent; ut, cum sequenti aestate *primus* Olymp. CXLIII. annus inceperit, Nemeas superiori aestate peracta in *quarti* Olympiadis peraecedentis initium inciderit. Optime quidem novi gravissimum alioquin Scriptorem Livium in Romanis Consulibus, ac Olympicis annis invicem committendis ita deceptum esse, ut Olympiadem illam, quae *Marcello*, & *Crispino* Consulibus vere contigerat, ad *Livii*, & *Neronis* annum, proxime nimirum sequentem, revocaverit: ut optime proinde Cl. Petavius (2) Scaligerum, ac Panvinium Fastorum patres hac in

I par-

(1) Liv. Lib. XXVII. (2) Doctr. Temp. Libr IX. c. 53. & Lib. I. c. 33.

parte Livii testimonio in errorem abreptos esse demonstraverit. Vnde vero error ille profluxerit, alii viderint. Id unum certissime ex perspicua rerum gestarum serie constitui poterit quod Nemeaci Ludi, quocumque demum Vrbis Romanae conditae anno, quibuscumque demum Consulibus peracti illi fuerint, integro anni spatio Ludos Olympicos praecessere, adeoque aestate anni *quarti* Olymp. CXLII. ineuntis sunt celebrati.

§ XI. Quid vero si ex eadem ipsa Livii historia, simulque Plutarchi narratione, Nemeadem aliam ineunte *quarto* Olympiadis sequentis anno celebratam esse demonstrem? Dixerat Livius *Marcello*, & *Crispino* Coss. *Cycliadem* Achaeorum Praetorem fuisse (1); proximoque anno, quo *Livius*, ac *Nero* Consulatum gessere, *Niciam* Praetoris munere perfunctum esse (2). Ergo Cycliades ineunte vere, hoc est exeunte 4. Olympiadis anno imperium suscepit; ipsique peracto anni spatio exeunte 1. Olymp. CXLIII. anno Nicias successit. At Plutarchus, simulque Polybius asserit quod Philopoemenes Achaeorum Praetor prope Mantineam Machanidam Lacedaemoniorum tyrannum acerrimo insignique certamine interemit; tum subdit Plutarchus λέγεται δὲ τῆς τῶν Νεμέων πανηγύρεως συνεστώσης, στρατηγοῦντα τὸν Φιλοποίμενα τὸν δεύτερον καὶ νενικηκότα μὲν οὐ πάλαι τὴν ἐν Μαντινείᾳ μάχην, τότε δὲ σχολὴν ἄγοντα διὰ τὴν ἑορτὴν πρῶτον μὲν ἐπιδεῖξαι τοῖς Ἕλλησι κεκοσμένην τὴν φάλαγγα: *fertur Nemeorum Conventu Philopoemenen, cum secundo Praetor esset, atque non ita pridem Mantineam pugnam vicisset, tunc vero temporis ob Festi celebritatem in ocio ageret, Graecis adornatam phalangem primum ostendisse.* Machanidae tyranni caedes, simulque celeberrima Philopoemenis victoria ineunte *quarto* Olympiadis anno posterior esse non potest. Etenim, Livio teste, P. Sempronius, priusquam Romam ad Consulatum decederet, pacem cum Nabide, qui sublato Machanida Spartae tyrannidem occupaverat, ceterisque Graecis iam fecerat. Ergo, cum *P. Sempronius Tuditanus* una cum *M. Cornelio Cethego* anno V. C. 550. adeoque 4. Olymp. CXLIII. propemodum exeunte, Consulatum susceperit, Machanidae mors, Nabidisque initium post ineuntem 4. Olympiadis annum collocari certe non poterit. Quandoquidem vero Livius pacem inter Philippum Achaeorum socium, atque Aetolos initam esse

te-

(1) Lib. XXVII. (2) Lib. XXVIII.

teſtatur antequam Sempronius Sulpicii ſucceſſor ineunte anno V. C. 549. adeoque exeunte 3. Olympiadis CXLIII. in Graeciam appelleret, Mantinea pugna non alteri, quam ineunti 3. Olympiadis, anno concedi poterit, brevi nimirum poſtquam Philopoemenes exeunte 2. Olympiadis anno Niciae Achaeorum Praetori ſucceſſerat, primumque ſupremam illam dignitatem acceperat. Ergo, ſi Nemeacis Ludis *non diu* poſt Machanidae caedem, Praetoris munere non *primo*, ſed *ſecundo* fungens, interfuit, Nemeaci Ludi non ad ineuntem 3. cum Caſaubono, vel exeuntem 1. cum Dodvello revocari, ſed ad ineuntem potius 4. Olympiadis annum referri debent, ut optime, accurateque a Petavio factum conſpicimus. Ita nimirum Philopoemenes ineunte ſuperiori vere, hoc eſt exeunte fere anno 3. Olympiadis, Achaeorum Praetor τὸ δεύτερον *ſecundo* electus eſſet, eoque munere decoratus Nemeorum celebritati interfuiſſet. Facile id quoque ex Pauſania, atque Polybio deprehendi poterit, ſimulque verus Lyſippi Praetoris annus, quem Caſaubonus incertum eſſe putaverat, definiri. Aſſerit Polybius quod Nabis ἔτος ἤδη τρίτον ἔχων τὴν ἀρχὴν *cum iam triennium principatu potitus eſſet; prorſus quidem nihil tum moliri aggreſſus eſt, neque aliquid tentare audebat propterea quod Machanidas recens ab Achaeis extinctus eſſet* (1). Pauſanias vero teſtatur quod *Nabis prae ceteris Peloponneſiorum Populis primos Meſſenios bello laceſſivit* (2); ac Philpoemenes, poſtquam expulſo Nabide Meſſenem liberaverat, *cum imperandi finem tempus attuliſſet, & novi imperatores ab Achaeis delecti eſſent, in Cretam tranſmiſit*: quemadmodum Plutarchus ait Meſſenii huius belli tempore Lyſippum Achaeorum Praetorem fuiſſe, eaque de cauſſa Philopoemenen in Cretam conceſſiſſe quod Praetoris dignitas non ſibi, ſed alteri, conceſſa foret. Ergo Lyſippus ille proxime poſt ſecundum Philopoemenis magiſtratum, adeoque exeunte anno 4. Olympiadis CXLIII. imperium ſuſcepit; cumque Nabis Meſſenios omnium primos inceſſerit, poſtquam *triennium* principatu, ſive tyrannide poti retur, Nabidis initium, ac Machanidae caedes, quae Philopoemene *primum* Praetore contigerat, ad ineuntem 3. Olympiadis annum manifeſtiſſime referri debet, ut Meſſenes obſidio, ſimulque libertas ipſi a Philopoemene tunc privato contra leges,



(1) Lib. XIII. Pag. 674. (2) Arcad.

Praetorisque decretum restituta [1] labente 1. Olymp. CXLIV. anno concedatur. Itaque perspicue fallitur Dodvellus ubi *Nemea, quibus interfuit secunda sua Praetura Philopoemen, paullo post victoriam ad Mantineam in tyrannum Lacedaemoniorum Machanidam, plane eadem* fuisse scribit, *quibus praesedit rex Macedonum Philippus, qui Achaeis venit in subsidium in illum ipsum Machanidam* [2], atque a Livio in annum V. C. Varr. 546. hoc est 4. Olymp. CXLII. simulque 1. Olymp. CXLIII. referuntur. Etenim, ut perspicuos characteres alios antea memoratos omittam, Nemeorum tempore, quibus Philippus interfuit, non Philopoemen, sed Cycliades Praetoris munere fungebatur.

XII. Quod si Nemeades illae, quae aestate, hoc est, ut inferius ostendetur, duodecima Hecatombaeonis Attici die peragebantur, ineunte *quarto* Olympiadis anno redire, vel instaurari consueverant, dubitari certe non poterit quin Nemeades aliae, quas hybernas esse iam diximus, in medios fere *secundos* Olympiadum annos inciderint. Eiusmodi tamen Nemeadum hybernarum exempla nullibi, quod quidem noverim, apud Scriptores occurrunt, si Diodorum unum exceperis, qui res a Cassandro Macedonum rege Praxibuli Archontis anno, hoc est 2. Olymp. CXVI. gestas enumerans ait quod Cassander ipse, qui iampridem Argivorum Vrbi Apollonidem veluti ducem praefecerat, ex Messenia, Arcadiaque in Argolidem reversus est, καὶ θεὶς τῶν Νεμέων ἀγῶνα τὴν εἰς Μακεδονίαν ἐπάνοδον ἐποιήσατο. [3] *Ludisque Nemeorum celebratis in Macedoniam reditum instituit*. Scaliger, qui *primis*, ac *tertiis* Olympiadum annis celebratas esse putavit, Diodorum hoc loci deceptum esse contendit: quemadmodum certe Petavius, aliique plurimi Nemeadem hanc a Diodoro memoratam non stata legitimaque die, sed alieno potius tempore, celebratam esse arbitrantur. Denique Dodvellus ipse coniecit quod Diodorus *accepit illa ab Annalista aliquo Horographo, qui totum annum ad illum Olympiadis annum retulerit, quo ver inierit. Ita ergo coeperit annus ille Olympiadis anno 2. desinente, ut 3. tamen ineunte fuerint Nemea* [4]; adeoque Nemeadem hanc a Diodoro memoratam non *hybernam*, sed *aestivam esse* putavit. Sed gravior hic certe Diodori auctoritas esse debet quam ut praeconceptis opinionibus in dubium revocari, plane-

que

(1) Plutar. in Philop. (2) Dissert. VII Sect. 1. (3) Lib. XIX. c. 74. (4) Dissert. VII. Sect. 1.

PRaetorum illorum ſitus, qui Oly. 138. tribuſque ſequentibus imperarunt, ex certiſſimo Timoxeni, Arati, ſimulque Ariſtonis, & Scopae ſitu, ſuperius conſtituto, deducitur Quod vero ad regis Attali, Cycliadis, aliorumque ſequentium ſitum attinet, hunc Livii perplexitas, & error incertum reddit. Etenim ille tum Attalum, tum Cycliadem cum Marcello, & Criſpino Coss. ſimulque cum anno $\frac{3}{4}$ Olymp. 142. coniunxit: quorum utrumque verum eſſe non poteſt; cum in Marcelli, & Criſpini Conſulis annum Olympias 143. certiſſime inciderit, ut ſuperius eſt obſervatum. Itaque, ſi Livius Praetores illos rite cum Conſulibus commiſit, ideoque non Conſules ſolum, ſed Praetores etiam cum Olympicis annis male coniunxit, Attalus ineunte 4. eodemque exeunte 4. Cycliades electus erit; ut iſti exeunte anno 1. Oly. 143. Nicias, mox Philopoemen, ac Lyſippus ſucceſſerint, ut in ſuperiori Serie conſpicitur, & Pag. 66. iam dixi. Sin vero Livius Praetores ipſos cum Conſulibus quidem male, ſed cum Olympicis tamen annis rite commiſit, Attalus ineunte anno 3. eodemque 3. exeunte Cycliades electus erit, ut Pag. 65. obſervavi; ideoque, cum ſecunda Philopoemenis praetura ab anno $\frac{3}{4}$ Olymp. 143. dimoveri non poſſit, inter Niciam, ac primam Philopoemenis praeturam, ſive inter duas Philopoemenis ipſius praeturas, Praetor alius inſerendus erit: niſi fortaſſe Cycliades ipſe duobus continuis annis imperaverit, atque exinde Livii error manaverit.

# PRAETORVM SERIES

## QVAE IN DISSERT. III. MEMORATUR

| *Achaei* | *electi anno* | | *Aetoli* | *electi anno* | |
|---|---|---|---|---|---|
| Aristomachus[1] | exeunte 4. Ol. 138. | | . . . . . . . . . . . . . . . . . | | |
| Aratus XII.[2] | ex. 1. | | . . . . . . . . . . . . . . . | | |
| Hyperbatus[3] | ex. 2. | 139. | . . . . . . . . . . . . . . . | | |
| Timoxenus[4] | ex. 3. | | Aristo[16] | ineunte 4. Ol. 139. | |
| Aratus XIII.[5] | ex. 4. | | Scopas[17] | in. 1. | |
| Aratus iun.[6] | ex. 1. | | Dorimachus[18] | in. 2. | 140. |
| Eparetus[7] | ex. 2. | 140. | Agetor[19] | in. 3. | |
| Aratus XIV.[8] | ex. 3. | | Agelaus[20] | in. 4. | |
| Timoxenus[9] | ex. 4. | | . . . . . . . . . . . . | | |
| Aratus XV.[10] | ex. 1. | 141. | . . . . . . . . . . . . | | |
| . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | | | Attalus rex[21] | in. 4. | 142. |
| Cycliades[11] | ex. 4. | 142. | . . . . . . . . . . . . . . . . . | | |
| Nicias[12] | ex. 1. | | | | |
| Philopoemen I.[13] | ex. 2. | 143. | | | |
| Philopoemen II.[14] | ex. 3. | | | | |
| Lysippus[15] | ex. 4. | | | | |

Prae-

(1) Plutar. in Arato. (2) Ibi. (3) Ibi. (4) Ibi, & in Agide; & Polyb. Lib. IV. pag. 276 (5) Plut. in Arato; & Polyb IV. p. 279 & 285 (6) Polyb. IV. p. 325. (7) Polyb. V. initio. (8) Polyb. V. p. 377 & 431. (9) Polyb. V. p. 443. (10) Polyb. V. p. 505. (11) Livius Lib XXVII. c. 33. (12) Liv. XXVIII. c. 8 (13) Plutar. in Philopoem. (14) Plut. ibi (15) Plutar. ibi (16) Polyb. IV. p. 274. & 286. (17) Polyb. IV. p. 305 & 330. (18) Polyb. V. initio. (19) Polyb. V. p. 431. (20) Polyb. V. p. 444. (21) Livius XXVII. c. 31.

que refelli illa possit. Quamvis enim Diodorus ambigere, vel ignorare potuerit quo Olympiadis anno res quaedam contigerit; adeoque res ipsas non ad Olympicos annos illos, quibus vere contigerant, sed aliquando ad proxime sequentes annos revocaverit; verum tamen Olympicum annum, quo Nemeades ipsius etiam aetate peragi, vel celebrari consueverant, ignorare certe non potuit; adeoque, si Nemeadem illam anno *secundo* Olympiadis celebratam esse testatur, illa non alteri, quam *secundo*, concedi debet; quemadmodum prorsus Isthmiadem, quam Diodorus ipse anno *tertio* Olymp. XCVI. celebratam esse testatur (1), non alterius, quam *tertii*, anni fuisse tum Scaliger, tum Dodvellus etiam existimavit. Itaque Nemeas illa anno 2. Olympiadis certissime peracta fuit; nihilque est certe cur ipsam non stato legitimoque, sed alieno tempore celebratam esse putemus; cum Cassander ipse iampridem Argolide potiretur, antequam in Messeniam, Arcadiamque contenderet; & eodem anno Argis moram traxisset, facile Nemeorum Ludos tunc habiturus si aut illi dilati iam fuissent, aut praesente Rege peragi debuissent.

XIII. Nihil est autem cur in exponendis, refellendisque Nemeadum exemplis illis hic immorer, quibus Dodvellus ostendi posse putaverat Nemeades ipsas in *primos*, ac *tertios* Olympiadum annos incidere, iisque veteri constantique lege peragi consuevisse: cum non alia propemodum exempla diligentissimus Scriptor ille protulerit, quam quae superius exposui; ut iisdem exemplis illis ostenderem statas, legitimasque Nemeades in *secundos*, simulque *quartos* Olympiadum annos incidisse. Ut omnia tamen Dodvelli argumenta brevissime complectar, Nemeadis exemplum initio ille protulit, quae Eusebio teste anno 1. Olymp. LIII. ab Argivis celebrata fuit; quaeque Scaligerum, Petavium, ceterosque Scriptores omnes abripuit ut Nemea *primis*, *tertiisque* Olympiadum annis tribuerent. At reponi facile id poterit, quod repente Dodvellus ipse subiecit: *Nos Historiae Mythicae exemplis plane non credimus* (2). Quod si Nemeadis huius exemplum non ex *mythica*, sed ex *vera* potius historia desumptum merito videatur, responderi poterit aut in Eusebii textum errorem aliquem irrepsisse; aut Eusebium in exprimendo Nemeadis eius anno deceptum esse;

(1) Lib. XIV. c. 86. (2) Differt. VII. Sect. 2.

se; aut potius Nemeadem quidem illam anno 1. Olympiadis, sed ceteras tamen omnes *secundis* celebratas esse: quemadmodum prorsus Dodvellus ipse Pythiades omnes semper *secundis* Olympiadum annis edi consuevisse contendit, quamvis Eusebius *primam* Pythiadem in anno *tertio* Olymp. IL. collocaverit. At, quocumque demum ex fonte Eusebii error, aut opinio profluxerit, ipsius auctoritas, & exemplum illud perspicuis testimoniis, & exemplis aliis, quae superius exposui, praeferri certe non poterit. Proximo deinde loco Dodvellus Nemeadem Diodoro memoratam exhibet, ipsamque non 2. sed 3. potius Olympiadis anno peractam esse arbitratur, quod horographus Diodori annus non ab *aestate*, sed a praecedenti *vere* inciperet. Liberius haec tamen, prorsusque immerito fingi iam diximus; cum praesertim Diodorus, ut est a Petavio, Dodvello, ceterisque subinde observatum, Olympici anni principium serius arcessere, vel constituere videatur; adeoque res Olympicis annis illis gestas uno serius anno consignare consueverit. Denique, si liberior illa Dodvelli hypothesis hic admittatur, Isthmiaci Ludi, quos Diodorus in anno 3. Olymp. XCVI. collocavit, ad sequentem annum referendi forent; quod certe Dodvellus ipse non dixerit. Tertio loco Dodvellus Nemeadas illas exponit, quae Cleomenici belli tempore contigerunt, ipsasque *primo*, ac *tertio* Olympiadis anno celebratas esse contendit. At Nemeades illas non alteri, quam *secundo*, & *quarto*, Olympiadis anno tribuendas esse iam vidimus. Nemeadem aliam ab Arato celebratam asserit, ipsamque, *ut videtur*, anno $\frac{1}{3}$ Olympiadis CXXXIV. peractam esse opinatur, proximo nimirum post secundam Arati Praeturam anno. Nullus hic tamen a Plutarcho (1) character exprimitur, adeoque nihil hic facile constitui potest. Nemeacis Ludis istis, quos stato, solemnique tempore celebratos esse defendit, alios adtexuit Dodvellus, quos *alieno tempore* commissos asserit; eos nimirum, qui Philopoemene (2), simulque rege Philippo praesente sunt instituti (3): atque illos etiam, in quibus Philippus ipse Hannibalis victoriae nuncium accepit. Nemeades tamen istas, quas non *duas*, sed *tres* fuisse iam diximus, temere a Dodvello consignatas, simulque legitimas, ac statas esse demonstravi. Denique perspicuum

(1) In Arato (2) Ex Plutar. in Philopoem. (3) Ex Livio Lib XXVII.

cuum aliud Nemeadis exemplum attulit, quae quamvis alieno tempore peracta fuerit, verum tamen, legitimumque Nemeadum tempus ostendit. Narrat Livius Argivos anno V. C. Var. 559. Nemeadem distulisse, ut Flamininum, simulque Romanum exercitum, qui in hybernis agebat, expectarent. Itaque, cum Flamininus ineunte anno 1. Olymp. CXLVI. in Graecia foret, confectoque bello Isthmia celebrasset, perspicue apparet Nemeadem illam, quae ineunte anno 2. peracta fuit, non superioris anni aestate, sed hyeme potius anni 1. celebrari debuisse. *Commode autem statum Ludorum bibernorum diem in illius adventum distulerint, quo Ludi ipsi tanto praeside ornarentur* (1). . . *Sed Ludos aestivos in alium usque annum differendi, ut Quintium praesidem haberent, nulla erat certe ratio* (2). Ergo, concludit Dodvellus, *primis* Olympiadum annis hybernae Nemeades adscribi debent, adeoque ineuntibus *tertiis* aestivae. Atque optime id ille quidem; accurateque, si non alia de caussa Ludi dilati forent, quam ut Flaminini, Romanique exercitus adventus expectaretur. At Livius, quem Dodvellus auctorem, & vadem exhibet, Nemeacos Ludos alia de caussa dilatos esse testatur. Siquidem, ubi dixisset quod Flamininus in ipsa Isthmiorum celebritate pacem, libertatemque Graecis concessit, subdit Quinctium ipsum in Graecia hybernasse, mox Lacedaemonem obsedisse, postquam Nabis Lacedaemoniorum tyrannus arma in Romanos converterat; tum Argivos eiecto Lacedaemoniorum praesidio, quod a Nabide impositum fuerat, libertatem adeptos esse; tandemque concludit: *laeta Civitas celeberrimum Festorum dierum, ac nobile Ludicrum Nemeorum die stata propter belli mala praetermissum in adventu Romani exercitus, Ducisque indixerunt, praefeceruntque Ludis ipsum Imperatorem* (3). Ergo *Nemeorum Ludicrum die stata* non Romani exercitus ac Imperatoris expectandi caussa, ut putavit Dodvellus, sed *propter belli mala praetermissum* fuerat; tantumque abest ut ea de caussa Nemeacos Ludos illos Argivi distulerint, ut, ex hybernis exercitum praestolati, Flamininum ipsis praeficerent; ut Nabidis potius tyrannide, bellique calamitatibus adhuc oppressi ne quidem Flamininum ipsum venturum esse confiderent. Ac certe pax illa, quae ineunte anno 1. Olympiadis a Flaminino concess-

(1) Lib. XXXIV. (2) Sect. 2. (3) Libr. XXXIII.

cessa fuit, non ad Nabidem, adeoque Lacedaemonios, atque Argivos ipsius tyrannide adhuc oppressos; sed Philippum regem, plurimasque Graecorum Vrbes spectavit; ut proinde cum Nabide ceterisque bellum recruduerit, donec, erepta iam Sparta, Flamininus Nabidi quoque pacem concessit: eamque in ipso Nemeorum Ludicro praeconis voce publicavit. Eiusmodi vero belli, sive tyrannidis initium, qua Argivi misere premebantur, adeoque solemnes Ludos *die stata praetermittere* sunt coacti, ad Olympiadis CXLV. annum $\frac{1}{4}$, sive V. C. Varr. 557. manifestissime referri debet; quo, Livio ipso teste, Argivorum Civitas a Philippo rege Nabidi concessa fuit. Itaque Nemeas illa, quae *propter belli mala* praetermissa fuit, non hyeme anni 1. ut volebat Dodvellus, sed ineunte 4. Olympiadis superioris anno celebranda fuerat, quo *Nicostratus*, Livio teste, apud Achaeos Praetoris munere fungebatur; cumque Argivorum Civitas a Flaminino recepta, adeoque Nemeaci Ludi peracti fuerint dum *Aristaenus* Praetoris munus obiret, manifestissime deduci debet quod exeunte anno 1. sive, si mavis, ineunte quoque 2. peracti fuerint, sed *aliena* tamen, non *stata* die: quod nimirum *secundis* Olympiadum annis Nemea non *aestiva*, sed *hyberna* forent, ut superius est observatum.

XIV. Olympicis autem annis ita a me constitutis, quibus Nemeades omnes, sive *hybernae*, sive *aestivae* illae fuerint, redire, vel instaurari consueverant, id unum explorandum superesrit quo vere tempore, sive anni mense, Nemeades aestivae, quae ceteris splendidiores fortasse fuerant, ac frequentius certe a Scriptoribus memorantur, peragerentur; sic enim facile mensis etiam ille ostendetur, in quem Nemeades aliae, hybernae nimirum, inciderint. Vetus, ac elegans Pindari Scholiastes asserit quod Nemeacus Agon duodecima Panemi cuiusdam die agebatur: *τελούμενος μηνὶ Πανέμῳ δωδεκάτῃ* (1) Nemeorum Agon *celebratus* erat *mense Panemo, duodecima* die. Petavius hic asserit quod Panemus ille *est Iunius circiter* (2); quod nimirum in nova Macedonicorum mensium solarium serie Panemus Iunio fere respondeat. Dodvellus etiam Panemum istum Sholiastae Pindarico memoratum non Corinthium, sed Argolicum potius, vel Macedonicum esse putavit, quod Argivi Nemeis praesiderent, ac Macedonicum

(1) Argum IV. & V. (2) Doctr. Temp. Libr. I. c. 33.

cedonum colonia forent, adeoque non aliis, quam Macedonum, mensibus uterentur; quod denique Corinthiorum Panemus, Demosthene teste, Attico Boedromioni responderet, ideoque non aestivus, sed autumnalis potius, mensis videretur; cum tamen exemplis ipsis appareat Nemeades aestate, hoc est Metagitnione mense, celebratas esse, qui Macedonico, vel Argolico Panemo accuratissime coniungebatur [1]. Sed doctissimum certe Virum depravatus ille Demosthenis locus, quem opportunius in Fastis Atticis exposui, & emendavi, hic, alibique saepius in errorem abripuit; ut Corinthiorum Panemum, simulque Panemum Macedonicum omnino temere collocaret. Etenim Corinthiorum quidem Panemus non Boedromioni, ut in vitiato Demosthenis textu nunc legitur, sed Hecatombaeoni Attico, Looque Macedonum respondebat; adeoque Macedonum Panemus, qui proxime Loum praecedebat, non Metagitnioni, ut putavit Dodvellus, sed Scirrhophorioni potius accuratissime coniungebatur; ut in subiecta mensium illorum serie conspicitur

| *Corinthii* | *Attici* | *Macedonici* |
|---|---|---|
| . . . . . . | Scirrhophorion | Panemus |
| Panemus | Hecatombaeon | Lous |
| . . . . . . | Metagitnion | Gorpiaeus |
| . . . . . . | Boedromion | Hyperberetaeus. |

Exinde vero iam facile clarissimeque deduci debet quod Panemus ille, quo Nemeadas aestivas *tertiis* Olympiadum annis celebrari consuevisse Dodvellus ipse iam dixerat, Argolicus, vel Macedonicus esse non potest; alioquin Nemeades ipsae non *aestivae*, sed *vernae* potius dicendae forent; quodque gravius esse debet illae non in *tertios* Olympiadum annos Hecatombaeone ineuntes, sed in *secundos* potius exeuntes inciderent: quod ab ipsa Dodvelli hypothesi, simulque variis Scriptorum testimoniis, sive Nemeadum exemplis abhorret. Itaque Panemus ille Nemeacus non alius, opinor, quam Corinthius, habendus erit; adeoque Nemeades aestivae ad *duodecimam* Hecatombaeonis Attici diem manifestissime referri debent, qua in aliis Olympiadum annis Isthmia aestiva peragi consuevisse demonstravimus. Ea vero de caussa Corinthium hic potius, quam Macedonicum, mensem designando Nemeorum tempori usurpatum esse

K

(1) Differt. VII. Sect. 5. & 6.

ſe putaverim quod Corinthii quoque Ludis eiuſmodi praeſiderent; niſi fortaſſe putaveris Argivos ipſos iiſdem omnino menſium Corinthiorum nominibus uſos eſſe. Quod enim Dodvellus ait Argivos Macedonum coloniam fuiſſe, adeoque non alios, quam Macedonum, menſes uſurpaſſe, probari certe non poterit. Vt enim praeteream Gentium plurimas, quae a nationibus aliis originem ſortitae fuerant, variis omnino menſium nominibus, atque annis civilibus uſas eſſe, ut in Faſtis Atticis Diſſertatione XIV. demonſtravi, perſpicuo Plutarchi teſtimonio erudimur Argivorum menſes non antiquioribus ſolum, ſed recentioribus etiam temporibus, non Macedonicis, ſed aliis omnino nominibus appellari conſueviſſe. Etenim diligens Scriptor ille teſtatur Argivarum mulierum victoriam *prima*, vel iuxta alios *ſeptima* menſis illius die contigiſſe τȣ̃ νῦν μὲν Τετάρτȣ, πάλαι δὲ Ἑρμαίȣ παρ' Ἀργείοις (1) *qui nunc quidem Quartus, olim vero Hermaeus apud Argivos* dicebatur. Itaque, ſicuti *quartus* Argivorum menſis non Macedonico, ſed peculiari potius Argolico nomine deſignabatur, ita quoque ceteri Argivorum menſes a Macedonicis accuratiſſime diſtingui debent: cumque civilis annus ex Dodvelli ſententia (2) a vere inciperet, adeoque *Hermaeus* ille Hecatombaeoni Attico coniungeretur (3), perſpicue apparet quod menſis ille, quo Nemeades aeſtivae peragebantur, a Corinthiis quidem *Panemus*, a Macedonibus autem *Lous*, atque ab Argivis ipſis *Hermaeus* appellabatur; ut Pindaricus proinde Scholiaſtes *Panemi* nomine non Macedonicum, non Argolicum, ſed Corinthium potius menſem expreſſerit. Haec omnia tamen de antiquioribus ſolum temporibus illis intelligi profecto debent, quibus apud Argivos, Corinthios, Macedones, alioſque Graeciae Populos Lunares anni adhiberi conſueverant; adeoque Ludi, quamvis eadem menſis lunaris die acti forent, atque aeſtivae Nemeades in duodecimam Hecatombaeonis Attici, Corinthii Panemi, Loique Macedonici diem inciderent, a Solaris tamen anni cardine, ſive Solſtitio, inaequalibus ſubinde intervallis, diſtabant. Vbi vero Solaris anni periodus in civiles uſus invecta, ſimulque veterum Macedonicorum menſium ſedes alicubi perturbata fuit, mirari certe non poſſumus ſi Nemeades etiam ipſae, quae Hecatombaeone Attico, ſive Macedonum

Leo

(1) De Virt. Mulier. (2) Diſſert. VII. Sect. 9. (3) Diſſert. V. Sect. 22.

Loo redibant, in Macedonicum mensem alium, ac fortasse Panemum ipsum, inciderint. Cum enim civilis Macedonici anni cardo a pluribus, qui Macedonicis Mensium nominibus utebantur, integro mensis spatio in anteriora protrusus esset, adeoque mensis ille, qui Hecatombaeoni Attico respondebat, a Macedonibus quidem Europaeis, Antiochenis etiam, Pergamenis, & Ephesiis *Lous*, a Smyrneis autem, ac Syro-Macedonibus *Panemus* appellaretur, fieri fortasse potuit ut Nemeades illae, quae veteri Loo, simulque Attico Hecatombaeone committebantur, in recentiorem Panemum illum incurrerent. Itaque in hac hypothesi Pindaricus etiam Scholiastas ille, qui Nemeades *duodecima Panemi die* celebratas asseruit, non de Corinthio, sed de Macedonico quoque Panemo intelligi fortasse poterit; quod suis nimirum temporibus Hecatombaeon Atticus, quo Nemeades constantissime peragebantur, apud Gentes illas, quas Pindaricus Scholiastes incolebat, non Loo, sed Panemo solum, coniungeretur.

XV. At gravissima exinde, atque inextricabilis propemodum difficultas alia ex Pindari Scholiaste suboritur, quae Nemeorum diem hactenus constitutam mirifice perturbat. Etenim Scholiastes ille de Tlepolemiis Rhodiorum Festis differens ait: τελεῖται δὲ Α'γὼν μηνὸς Γορπιαίυ εἰκοσῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ. Α'πέχει δὲ τῶν Νεμέων ἡμέρας ἕξ. (1) *celebratur autem Agon Gorpiaei mensis vicesima quarta die. Distat vero a Nemeis diebus sex.* Ex eiusmodi Scholiastae loco magnus Scaliger Nemea Tlepolemiis ipsis posteriora fuisse putavit; adeoque Nemeades Hyperberetaei novilunio instauratas esse contendit (2). Dodvellus autem, quamvis Panemum ab alio Scholiaste Pindarico memoratum Macedonicum esse, adeoque Augusto Iuliano accuratissime respondere censeret (3), Usserio tamen Duce observavit Gorpiaeum iuxta Macedonas Europaeos, Pergamenos etiam, ac Ephesios 25. Iuliani Quintilis die incepisse; adeoque *vicesimam quartam* Gorpiaei diem, simulque Tlepolemia Festa in 17. Augusti Iuliani diem incidisse: quo plane fieret Nemeades 12. eiusdem Augusti Iuliani die celebratas *sex* solum diebus, utroque termino inclu-so, a Tlepolemiis diffidere (4). At doctissimi Dodvelli pace ve-

 tus,

(1) Ad Olymp VII. (2) Ad Chron. Euseb anno 1449 (3) De Anno Sol. Maced. c. 4. (4) Dissert. VII Sect 10.

tus, & lunaris ille Panemus a Pindari Scholiaste memoratus Macedonicus esse non poterat; & quamvis etiam Macedonicus esse dicatur, si Nemeades ex Dodvelli hypothesi in 12. Augusti Iuliani diem incidissent, ad *duodecimam Panemi diem* referri certe non possent; adeoque subtilior ille Dodvelli calculus, & coniectura dissidentes istas Interpretum sententias componere, vel conciliare non poterit. Itaque, si Nemeades semper una, eademque Macedonici mensis die, sive olim lunaris, sive deinde solaris etiam is fuerit, peractae sint, Pindarici Scholiastae locum omnino vitiatum esse putaverim, nec alia certe ratione corrigi, sanarique ille poterit, quam si numeri temere transpositi suis in locis accurate restituantur. Scripserat, ut opinor, Scholiastes μηνὸς Γορπιαίυ ς' ἡμέρᾳ. Α'πέχει δὲ τῶν Νεμέων ἡμέρας κδ'. *mensis Gorpiaei 6. die. Distat vero a Nemeis dies* 24. Imperitus, ac festinans Librarius numeros illos ita vicissim transposuit, ut in depravato deinde codice legeretur μηνὸς Γορπιαίυ κδ' ἡμέρᾳ. Α'πέχει δὲ τῶν Νεμέων ἡμέρας ς'. *mensis Gorpiaei* 24. *die: distat vero a Nemeis dies* 6. atque exinde in alios Codices omnes error ille manavit. Suspicionem hanc mihi pridem iniecerant plurimi id genus errores alii, qui ex numeris temere transpositis irrepsere; & coniecturam hanc meam satis, ut arbitror, confirmat quod numeris iterum transpositis, vel a me restitutis, omnia sibi mirifice consentiant, atque obscurissimus locus ille iam nitidus haberi debeat. Etenim inter *duodecimam* Macedonici Loi, sive Corinthii Panemi, diem, qua aestivas Nemeadas celebratas esse iam diximus, ad *sextam* sequentis Gorpiaei diem, qua Tlepolemia peracta fuerint, *vigintiquatuor* dies accurate intercesserunt. Quod si vulgatus ille Scholiastae locus retineri fortasse debeat, Nemeades a 12. Loi ad 18. Gorpiaei diem transferendae forent, quod ab omni tamen veritatis specie maxime abhorrere Dodvellus ipse concederet; qui sacros solemnesque Ludorum dies constantes esse iam dixerat. Quaecumque tamen hypothesis in definienda Nemeorum die pro sequioribus eiusmodi temporibus eligatur, dubitari certe non poterit quin antiquioribus aliis aestivae Nemeades in Hecatombaeonem Atticum, adeoque Macedonicum Loum, simulque Corinthium Panemum inciderint.

XVI. Exinde vero Delphinii mensis situs in civilibus Aegi-

ginetarum annis conſtitui, vel definiri facile poterit. Pindarus Pytheam Aeginetam, qui pancratio Nemea vicerat, laudans ait:

Αʿ Νεμέα μὲν ἄρμοσε,
Μεἰς τ᾽ ἐπιχώριος, ὃν φίλησ᾽ Α᾽πόλλων. (1)
*Nemea quidem adaptata eſt ei,*
*Menſiſque patrius, quem amat Apollo.*

Ad eiuſmodi Pindari verba Scholiaſtes adnotavit παρ᾽ Αἰγινήταις Δελφίνιος μεὶς ἄγεται Δελφινίω Α᾽πόλλωνος ἱερὸς, ἐν ᾧ ἴσως φησὶ γεγενῆσθαι τὰ Νέμεα *apud Aeginetas Delphinius menſis agitur Delphinio Apollini ſacer, in quo* Delphinio Aeginetarum menſe *Nemea quoque peracta fuiſſe dicit.* Itaque Dodvellus (2) Delphinium Aeginetarum menſem Attico Metagitnioni reſpondiſſe voluit; quod illo nimirum Nemea celebrata fuiſſe arbitretur. Obſervat etiam Metagitnionem ipſum, Delphinii inſtar, Apollini ſacrum fuiſſe; adeoque nihil veriſimilius eſſe, quam menſes illos uni eidemque Apollini ſacros ſibi accuratiſſime reſpondiſſe. Verum Nemeades non Metagitnione, ſed Hecatombaeone, menſe celebratas eſſe iam diximus; adeoque, ſi Delphinius Aeginetarum menſis cum Nemeaco menſe coniungebatur, Hecatombaeoni Attico, ſive Corinthiorum Panemo, reſpondiſſe debuit. Quandoquidem vero Nemeades ipſae, quae aeſtivae fuerant, Hecatombaeone menſe peragebantur, nihil certe veriſimilius eſſe unquam poterit, quam Nemeades alias, quas hybernas eſſe iam diximus, ſex menſium intervallo ab aeſtivis remotas fuiſſe; adeoque Gamelione Attico, Peritioque Macedonico celebrari conſueviſſe. Itaque hoc etiam loci Dodvelli ſententia corrigi, vel emendari iam poterit, qui cum aeſtivas Nemeadas Metagitnioni conceſſerit, hybernas non alteri, quam Antheſterioni, tribuendas eſſe contendit (3). Optime id tamen, accurateque Dodvellus quod, licet Nemeades alterne aeſtivas, ac hybernas eſſe demonſtraverit, ipſas tamen a primis uſque temporibus *trietericas* extitiſſe, atque ad extrema uſque tempora, quibus aliorum inſtar abolitae ſive ſublatae fuerunt, alternis annis celebrari conſueviſſe, perſpicuis Pindarici Scholiaſtae (4), aliorumque teſtimoniis ſuperius etiam a me laudatis oſtendit. Itaque mirari plane quis poterit quod eruditiſſimus Faber, quo nemo certe uberius

(1) Nem. V. ver. 81. (2) Differt. VII. Sect. 11. (3) Differt. VII. Sect. 7. (4) Nem. IV.

rius, & elegantius eiusmodi Ludorum omnium originem, ac ritus exposuit, *etiam annuos Nemeorum Agones Argis exhibitos singulis quadriennis quaternos* (1) fuisse dixerit; idque Fabro duce Prideauxius ipse temere existimaverit (2). Doctissimo certe Fabro (quid enim Prideauxium hic memorem, qui Scriptores alios solum exscribere subinde solet?) ambiguus quidam Iuliani locus imposuit, ubi Caesar ille, postquam dixisset pentaeteridis, sive quadriennii completi spatio Olympicos quidem, Pythicosque Ludos semel, Isthmicos vero bis celebrari, repente subdit ἐν μέντοι τύτῳ τῷ χρόνῳ καὶ δύο πρόκεινται παρὰ τοῖς Ἀργείοις Ἀγῶνες ἕτεροι οἷδε. ὥςε εἶναι τέσσαρας πάντας ἐνιαυτοῖς τέσσαρσι. (3) *in hoc vero tempore duo etiam propositi sunt apud Argivos alii Ludi, ut in universum per quadriennium quatuor sint* Ludi: quod de Nemeacis solum Ludis intelligendum esse tum Faber, tum Prideauxius immerito existimarunt. Etenim Iulianus ipse nitide diserteque iam dixerat quod Ἠλεῖοι μὲν καὶ Δελφοὶ διὰ τῆς πολυθρυλλήτυ πενταετηρίδος ἅπαξ ἐπιτέλειν εἰώθασι. διττὰ δὲ ἐςι Νέμεα παρὰ τοῖς Ἀργείοις, καθάπερ Ἴσθμια παρὰ Κορινθίοις *Elidenses quidem, & Delphi per celeberrimum quinquennium illud semel tantummodo celebritatem obire consueverunt; duplicia vero sunt Nemea apud Argivos, sicut Isthmia apud Corinthios*. Itaque tantum abest ut ex celeberrima Iuliani Caesaris Epistola inferri possit ipsius aetate Nemeades *annuas* evasisse, ut exinde potius manifestissime confirmetur Nemeades, Isthmiadum instar, integro pentaeteridis spatio bis tantum peragi consuevisse, adeoque semper *trietericas* extitisse. Vbi vero Caesar ipse testatur apud Argivos *quatuor* Agones quadriennii tempore, ideoque singulis annis Agonem aliquem, celebrari, perspicue Nemeacos a duobus Ludis aliis distinguit, asserens quod praeter bina Nemea καὶ δύο πρόκεινται Ἀγῶνες ἕτεροι οἷδε *duo etiam Agones alii proponuntur*. Quinetiam, nisi plurimum hic ego fallor, duorum eiusmodi Ludorum nomen Iulianus expresserat, adeoque insignis hic locus perspicue mutilus habendus erit, nec aliter ille corrigi, sanarique poterit, quam si duorum Agonum nomina, quae prorsus exciderant, inserantur. Atque alterum quidem ex Ludis illis non alium esse putaverim, quam qui τῆς Ἀσπίδος *Scuti* vocatur, atque in Athleticis Marmoribus ceteris Graeciae Ludis, vel

(1) Agonist. Libr. II. c. 23 (2) Ad Marm. Oxon. Pag. 191. (3) Epist. pro Argiv.

vel Certaminibus accensetur. Ita in Oxoniensi Marmore [1] superius memorato C. Antonius Septimius Citharoedus vicisse dicitur τὴν ἐξ Ἄργυς Ἀσπίδα. Νέμεα Γ. *Argis Scutum. Nemea ter.* Sic in alio Marmore, quod Megaris Sponius exscripsit [2], inter Agones alios memoratur Πύθια ἐν Δελφοῖς Β. Νέμεια ἐν Ἄργει Γ. Ἴσθμια Β. . . . . . τὴν ΕΙΖ ΑΡΓΟC ΑCΠΙΔΑ. *Pythia in Delphis bis. Nemea in Argis ter. Isthmia bis. . . . Argis Scutum.* Denique in Gruteriano Marmore dicitur quod Asclepiades, sive Hermodorus, vicit Ὀλύμπια τὰ ἐν Πείσῃ CM ὀλυμπιάδι. Πύθια ἐν Δελφοῖς. Ἴσθμια δίς. Νέμεα δὶς τὸ δεύτερον στήσας τὰς Ἀνταγωνιςὰς. κ̀ τὴν Ἀσπίδα ΗΡΑCΕΜ ΜΙ. Καπετώλια &c. quae in aeterno Gruteri Opere ita latine redduntur. *Olympia, quae in Pisa CXL. Olympiade, Pythia in Delphis. Isthmia bis. Nemea bis secundum sistens adversarios, & Clypeum attollens .... Capitolinos Romae bis &c.* At immortalis Scaliger, cum Marmoris voces depravatas esse intelligeret, mutilum potius hiantemque Marmoris textum ita nobis exhibuit κ̀ τὴν Ἀσπίδα . . . . Καπετώλια . . . [3] Ex duobus tamen exemplis illis, quae superius exposui, Marmorumque illorum praesidio Gruteri quoque Marmor hic corrigi, suppplerique facile poterit. Itaque non ΕΜΜΙ sed ΕΝΑΡΓΕΙ certissime rescribi debet: cum praesertim priores quidem literae duae in superioris versus fine, posteriores vero in sequentis initio reperiantur; adeoque facile vel quadratarii, vel potius exscriptoris vitio ex evanidis disiectisque literis illis incondita vox alia procudi potuerit; atque ita voces illae latine reddendae sunt, *& Scutum Iunonis in Argo:* quod nimirum Agon ille Ἥρας Ἀγὼν Pindaro [4] quoque memoratus Iunoni sacer foret, ut Rheinesius [5], Meursius [6], aliique plurimi demonstrarunt, qui varios eiusmodi Agonis ritus accuratissime descripserunt. Ergo, cum *Iunonis Scutum*, sive *Scutum in Argo* ceteris Graeciae, sive Argivorum Ludis accenseatur, dubitari certe non poterit, quin Iulianus Caesar Agonem istum hic designaverit, atque Agon ipse *pentaetericus* potius, quam *annuus*, haberi fortasse debeat. Ita quoque Ludicrum, vel Festum aliud ab Argivis splendido solemnique ritu in Iunonis ipsius honorem agebatur, in quo puellae virgines omnibus certaminum generibus, quae in

(1) Marm. Oxon. III. Pag. 70. (2) Itiner. Tom. III. Pag. 221. (3) De Emend Temp. Libr V. Pag. 476. (4) Pyth. VIII. ver. 113. & Nem. X. vers. 41. (5) Var. Lecti. (6) Graec. Feriata.

in Olympicis, aliisque Agonibus habebantur, certare consueverant; ut a Pausania [1] erudimur. Hinc illa Ἡραῖα sive *Iunonia* Festa vocabantur; ut Festa illa, quorum curationem Philippo regi ab Argivis delatam esse Livius [2] testatur. Eiusmodi quoque Hereorum, simulque Festorum in Antinoi honorem in eximio Marmore apud Muratorium mentionem invenio Pag. 561. Num. 2. in quo Argivorum Civitas honorat Titum Statilium στρατηγήσαντα τῶν Ἀχαίων, τὸν Ἀγωνοθέταν Ἡραίων, καὶ Νεμείων, καὶ Σεβαστείων, καὶ Νεμείων, καὶ Ἀντινοείων ἐν Ἄργει, καὶ Ἀντινοείων ἐν Μαντινέᾳ, καὶ Ἀσκλαπιείων ἐν Ἐπιδαύρῳ. *Achaeorum Praetura functum, Agonothetam Ludorum Iunoniorum, & Nemeorum, & Augustalium, & Nemeorum, & Antinoiorum in Argis, & Antinoiorum Mantineae, & Aesculapiorum in Epidauro*. Itaque, cum Livius ipse diserre dixerit prius Herea, tum Nemea celebrata fuisse, ac Nemeas illa ineunte 4. Olympiadis anno peracta fuerit, exinde facile inferri poterit Herea, sive Iunonia Festa, si *pentaeterica* & ipsa fuerint, exeuntibus *tertiis* Olympiadum annis peragi consuevisse: ut optime proinde dixerit Iulianus quod καὶ δύο πρόκεινται Ἀγῶνες ἕτεροι οἵδε *hi duo etiam Agones alii praeponuntur*: quod nimirum Iunonia Festa *aestivas* Nemeades, Scutum vero *hybernas* praecesserint; adeoque Scuti Certamen in *primos* fortasse Olympicos annos inciderit. Sed celebres illos Argivorum Ludos, ipsorumque tempus alii diligentius inquirant. Id unum mihi perspicuis, opinor, certisque characteribus ostendisse sufficiat Nemeades ipsas nunquam *annuas*, sed *trietericas* semper fuisse; atque alternis annis ita peragi consuevisse, ut *hybernae* quidem in medios *secundos*, *aestivae* vero in *quartos* ineuntes Olympiadum annos inciderint.

(1) Eliac. I. (2) Lib XXVII.



# DISSERTATIO IV.

## ISTHMIA.

I. CVm Athamas Siſyphi Corinthiorum regis frater Learchum filium furore percitus occidiſſet, Ino Athamantis uxor dolore correpta una cum Melicerta filio in mare ſe praecipitem dedit. Melicertae corpus ad Corinthiacum Iſthmum a Delphino delatum, atque a Siſypho tumulatum fuit. Tunc Melicerta ſub *Palaemonis* nomine inter Daemonas, aut Genios; atque Ino ſub *Leucotheae* appellatione inter Nereidas haberi coepit: ac utrique, Nereidum iuſſu, funebris Agon ille inſtitutus fuit; qui, cum in ipſo Corinthi Iſthmo peragetur, *Iſthmiacus* eſt appellatus (1). Deinde vero, cum Sinis Neptuni filius, ac latrones alii confluentibus ad Ludos Graecis infeſti forent, ipſorum celebritas aliquandiu intermiſſa fuit; donec Theſeus ſublato Sinide veteres Ludos illos inſtauravit, ipſoſque non Ino, ac Melicertae, ſed Neptuno potius Oceani, bimariſque Corinthi praeſidi dedicavit (2). Ac Iſthmiacos certe Ludos a Theſeo celebratos eſſe non modo Plutarchus (3), ac Pindari Scholiaſtes, ſed Oxonienſis etiam Marmoris auctor oſtendit, qui varia Theſei facinora ſimul complexus ait: Α'φ' ὃ Θησεὺς . . . τὸν τῶν Ι'σθμίων Α'γῶνα ἔθηκε Σίνιν ἀποκτείνας ἔτη ΗΗΗΗΗΗΔΔΔΔΠ (4) *Ex quo Theſeus . . . Iſtmiorum Certamen conſtituit, poſtquam Sinin occiderat, anni* 995. adeoque ex Marmoris huius hypotheſi Iſthmiaci Ludi tunc a Theſeo conſtituti 483. annis pri-



(1) Schol. Pind. in Argum. Iſthm. & Pauſan. Attic. in fine & Corinth. c. 1. (2) Schol. Pind. Argum. II. (3) In Theſeo. (4) Epoch. 21.

mam Olympiadem praecesserunt; septemque solidis annis ante primam Nemeadem ab Argivorum regibus celebratam contigerunt. Verum an Isthmiaci Ludi a Theseo non instaurati solum, sed instituti etiam fuerint, an Melicertae prius, aut Neptuno sacri esse coeperint, definiri vix poterit: cum ipsa quoque Plutarchi aetate maxima opinionum varietas haberetur, quas diligens Scriptor ille sincere accurateque complectitur. Vtraque tamen opinio probari, simulque facile componi poterit, si Musaei hypothesis eligatur, qui Agones duos in Isthmio peragi consuevisse testatur, quorum alter Neptuno, alter Melicertae sacer foret; quamvis idem ille Apollonii Scholiastes [1], qui Musaei testimonium exscripserat, Isthmiacos Ludos prius Neptuno, deinde Sisyphi regis aetate Melicertae dicatos esse testetur; moxque Neptuno soli, Theseo fortasse auctore, [2] consecrati ii videantur; ut Neptuni proinde Pindarus [3], Xenophon [4], Ausonius [5], aliique plurimi, non Melicertae, meminerint. Atque ex hoc ipso, ut opinor, veterum Ludorum discrimine coronae quoque varietas oriri fortasse potuit, ut antiquitus quidem, in Neptuni honorem, ex pinu, arbore nimirum Neptuno sacra; deinde vero, exprimendo Melicertae, funeri ex apio contexeretur; quamvis Plutarchus in Agonibus etiam illis, qui Melicertae dicati fuerant, antiquitus quidem ex pinu, mox, Nemeorum instar, ex apio, iterumque tandem ex pinu coronam usurpatam esse demonstret [6]; ut optime proinde dixerit Apollonii Scholiastes prius ex pinu, deinde ex arido apio coronam Isthmionicis concessam esse; optimeque vicissim Pindaricus etiam Scholiastes ille [7], qui prius ex apio, deinde ex pinu contextam asseruit: quod nimirum, Plutarcho teste, prius haec pinea, deinde ex apio, iterumque mox pinea usurpata fuerit. Quo vero tempore varietas illa invecta sit facile coniici, vel divinari non potest. Id unum perspicue ex Pindaro deduci poterit quod ipsius aetate corona ex apio victori concedebatur, cum ille victores illos celebrans Δωρίων σελίνων *Doricorum apiorum* saepissime meminerit [8]. Id vero Timoleontis etiam aetate, sive Olympiadis CX. anno 1. atque Antigoni regis temporibus, hoc est Olympiade CXX. obtinuisse Plutarchus ipse de-

(1) Schol. Apollon. Lib. III. (2) Plutarch in Theseo. (3) Isthm. I. II. (4) Hellen Lib. IV. (5) In Eclog. (6) Sympos. Lib. V. quaest 3. (7) Argum II. (8) Isthm II. ver. 23. & VIII ver. 137. & Nem. IV. ver. 142. & Olymp XIII. ver. 47.

demonstrat [1]; adeoque antiquior illa corona ex pinu contexta Caesarum fortasse temporibus iterum usurpata videtur, ut Isthmiacam proinde coronam Plinius [2], & Archias [3] pineam fuisse dixerint.

II. Perspicuo quoque Pindari testimonio erudimur quod ipsius aetate Isthmiaci Ludi, Nemeorum instar, *trieterici* fuerant, cum ipsos ἐν ταυροφόνῳ τριετηρίδι [4] *mactatrice bovum trieteride* celebrari consuevisse dixerit. Pindaricus etiam Scholiastes [5], ceterique Scriptores [6] omnes, si Suidam [7] unum exceperis, qui *annua*, simulque Plinium [8], & Ausonium [9], qui *pentaeterica* fuisse temere existimarunt, Isthmia *trieterica* fuisse docent; nec ullibi tamen ostendunt an illa a primis usque temporibus tertio quolibet anno peragerentur; aut trieterides illae sequioribus solum temporibus invectae fuerint, postquam Isthmiaci Ludi, qui iam fere obsolverant, sunt instaurati. Certe Eusebius ab ipso Melicertae funere usque ad Olympiadis IL. annum 3. Isthmia, simulque Pythia defecisse testatur, cum ad annum illum adnotavit: Ἴσθμια, καὶ Πύθια πρῶτον ἤχθη μετὰ Μελικέρτην: quae Eusebius latine reddidit *Isthmia post Melicertem, & Pythia primum acta;* quemadmodum Scaliger in *Collectaneis Historiarum* ad annum 1. ipsius Olympiadis observavit: τὰ Ἴσθμια ἀπὸ τῶν χρόνων Κυψέλου τοῦ Κορινθίων τυράννου παρημελημένα ἀνήχθη *Isthmiaca Cypseli Corinthiorum tyranni temporibus neglecta iterum acta sunt*. Haec tamen Eusebius minus feliciter, accurateque expressit; cum Isthmiades post Melicertae funus a Corinthiis celebratae mox a Theseo instauratae fuerint, ut superius ostendi; Herculisque aetate illas tertio peractas esse testetur Apollodorus. Quod vero Isthmiadas a Cypseli temporibus intermissas esse dixerit Scaliger, Scaligerique vestigiis insistens Dodvellus [10], id Solino quidem, ut arbitror, auctore ille didicit, qui Corinthios Cypseli tyrannide oppressos a veteri, solemnique Isthmiorum celebritate abstinuisse testatur [11]. Sed levior hic certe Solini auctoritas esse debet, quam ut ipsius praesidio in tanto veterum Graecorum silentio de pristinis illis temporibus decernatur. Certe Pausanias [12] Isthmiacos Ludos ne excisa quidem a Romanis Corintho desiisse scribit; nihilque tamen

 men

(1) Symp. Lib V. quaest. 3. vid. Poliaen. Lib. V c. 12 (2) Lib. XV. c. 10. (3) Anthol. Lib. I. Epigr. 1. (4) Nem. VI vers. 69. (5) Ad Isthm I. (6) Statius Lib IV. & VII Theb. (7) In Νέμεα (8) Lib IV. c. 5. (9) In Eclog. Num. 388. (10) Dissert. VI. Sect. 3 (11) Cap 12 (12) Corinth c 2.

men de antiquioribus temporibus aliis adiecit, quibus illi obsoleverint. Quinetiam, ubi post Cypseli tempora Eleos ab Isthmiacis Ludis veteri constantique more semper abstinuisse testatur [1], perspicue, ut opinor, ostendit Isthmiades ipsas etiam post Cypselum celebrari consuevisse. At, ne coniecturis hic tantum, aut solo veterum silentio Scaligeri, sive Solini potius, sententiam refutasse videar, observari maxime velim quod ceteras inter Solonis leges, atque instituta illud etiam a Plutarcho [2], Laertio [3], aliisque pluribus [4] recensetur: quod ille Olympiorum victoribus *quingentas*, Isthmionicis vero *centum* drachmas veluti praemium decrevit. Itaque, cum Solon anno 3. Olymp. XLVI. Eponymus Athenis Archon fuerit, legesque civibus suis posuerit, dubitari certe non poterit quin iis temporibus Isthmiacus Agon perageretur; cumque Cypselus anno 4. Olymp. XXXVIII. e vivis excesserit, eiusque successor, ac filius Periander tyrannidem ipsam ad annum usque 4. Olymp. XLVIII. Corinthi occupaverit, perspicuum fiet Cypselidarum aetate Isthmia veteri constantique ritu celebrari consuevisse; non vero Cypselidarum temporibus intermissa, Olympiade solum IL. proxima nempe post Periandri mortem, instaurata fuisse: quod Scaliger [5] Solini testimonio perperam existimaverat. Quid vero quod Solinus ipse Isthmiacos Agones *pentaetericos* fuisse dicit, ipsorumque caussam, & originem hanc esse scribit quod Peloponnesus *quinque* maribus allueretur? cum tamen pentaeteris illa, simulque lepida Ludorum origo a Solino tradita a nullis omnino Scriptoribus memoretur? Haec, aliaque id genus plura argumento esse poterunt Isthmiadas aliquando quidem, sed longe tamen prius, quam Solinus, & serius, quam Eusebius putaverat, obsolevisse; nec alia de caussa ipsarum celebritatem ab Eusebio, simulque Solino Olympiade IL. instauratam asseri, nisi quod illae splendidiori pompa tunc agi coeperint; cum prius incerti fortasse temporis forent, tunc Nemeorum instar trietericae decretae fuerint; cumque prius victori pinea corona concederetur, Olympiade IL. ex apio contexi illa coeperit; ut nimirum Isthmiaci Ludi Nemeacis hac etiam in parte conferri possent.

III.

(1) Eliac. I c. 2. (2) In Solone. (3) Lib I. Segm. 55. (4) Vid. Meurs. in Solone. (5) Canon. Isagog. Lib. III pag. 334.

III. Ceterum Isthmiades ipsas *primis*, simulque *tertiis* Olympiadum annis redire, vel instaurari consuevisse perspicuis adeo Veterum testimoniis, variisque illarum exemplis, quae apud Graecos, Latinosque Scriptores subinde occurrunt, demonstravit Dodvellus [1], ut nullus omnino dubitandi locus supersit quin in definiendo illarum tempore non modo Dodvellus ipse, sed etiam Scaliger [2], ac Petavius [3], qui Dodvello praeluxerant, accuratissime disputarint; ut ex illustri quoque Xenophontis loco deduci poterit, quem opportunius subiiciam. Quo vero civilis Corinthiaci, vel Attici anni mense Isthmiades agerentur nullus omnino Veterum indicavit; idque omnium primus ex illustri Pindarici Scholiastae loco Dodvellus subtiliter investigavit [4]. Pindarus Epharmosti, qui Olympiadem LXXIII. *palaestra* vicerat, laudes celebrans ad Lampromachi Isthmionicae laudes repente digressus ait:

. . ἦλθον τιμάορος Ἴσθμίαι-
σι Λαμπρομάχου μί-
τραις, ὅτ' ἀμφότεροι κράτησαν
μίαν ἔργον ἀν' ἁμέραν.
Ἄλλαι δὲ δύ' ἐν Κορίν-
θου πύλαις ἐγένοντ' ἔπει-
τα χάρμαι.
Τάι δὲ καὶ Νεμέας Ἐφαρ-
μόστῳ κατὰ κόλπον. [5]
*accessi honorem afferens Isthmia-*
*cis Lampromachi coro-*
*nis: quando ambo adepti sunt*
eandem *rem*, seu victoriam, *eodem die*.
*Alia vero duo in Corin-*
*thi portis contigerunt*
*postea gaudia*;
*Alia vero & Nemeae in*
*sinu Epharmosto*.

Hic vetus Interpres ille adnotavit: Κατὰ μίαν ἡμέραν οἱ δύο ἐνίκησαν, ὁ μὲν Ἐφάρμοστος Ὀλύμπια, ὁ δὲ Λαμπρόμαχος Ἴσθμια *uno*, eodemque *die ambo vicerunt; Epharmostus quidem Olympia, Lamproma-*

(1) Differt. VI. Sect. 2. (2) De Emend. Temp. Lib. I. Pag. 39. & ad Chron. Euf. Num. 1435. & 1821. (3) De Doctr. Temp. Lib. I. c. 33. (4) Differt. VI. Sect. 1. (5) Olymp. IX. verf. 124.

*machus vero Isthmia*. Itaque, concludit Dodvellus [1], cum Olympici Ludi ab *undecima* Hecatombaeonis Attici die ad *sextam decimam* extenderentur, Isthmiacus agon inter *undecimam*, ac *sextam decimam* eiusdem Attici mensis diem incidisse debuit; cumque verisimilius censeri debeat Isthmiades unico die peragi, absolvique consuevisse, ad *duodecimam* potius, quam aliam, Hecatombaeonis Attici diem Isthmiades aestivae referri poterunt. Quandoquidem vero primus Corinthiorum mensis erat Panemus, atque mensis ille Demosthene teste Boedromioni Attico respondebat, quemadmodum Carnius Siculorum, adeoque Corinthiorum mensium postremus Metagitnioni Attico coniungebatur, ut Plutarchus asserit [2], exinde fieri putavit Dodvellus quod Isthmiaci *Ludi mensi anni penultimo adstringebantur, quicumque demum is fuerit* [3]; sive nimirum in communibus annis *undecimus*, vel *Carnius I.* sive in embolimaeis *duodecimus*, vel *Carnius II.* esse debuerit; ut semper nimirum Isthmiacus mensis Olympico, vel Hecatombaeoni mensi coniungeretur [4]. Ac postremam hanc quidem doctissimi Viri sententiam, qua Corinthiorum menses cum Atticis committendos esse putavit, hic nihil moror, cum accuratius illam, atque opportunius in Fastis Atticis excutiendam, simulque perspicue refellendam susceperim [5]. Id unum obiter indicasse nunc iuverit, quod superius etiam est observatum, ubi de Nemeis agebatur, nempe Corinthiorum Panemum non Boedromioni, ut ex depravato Demosthenis textu putavit Dodvellus, sed Hecatombaeoni potius Attico respondisse; adeoque, si Isthmiades Olympico mense, vel Hecatombaeone Attico agebantur, non alteri, quam Panemo, Corinthiorum mensi concedi illae debent, quo Nemeades etiam celebratas esse Pindarici Scholiastae testimonio Dodvellus ostenderat.

IV. Quid vero si ex alio Pindarici Scholiastae loco Isthmiadas in eandem illam, *duodecimam* nimirum, Panemi diem incidisse nunc dixerim, qua aestivae Nemeades agebantur; adeoque veram Isthmiorum diem, quam Dodvellus felicibus quidem, sed ambiguis tamen coniecturis indicaverat, clarioribus coniecturis aliis ostendam? Scholiastes ille, ubi verbis a Dodvel-

(1) Differt. VI. Sect. 1. (2) Sect 5. 6. 7. 10. 11. (3) Sect. 10. & 18. (4) Differt. VII. Sect. 7. (5) Differt. III. Num. 20. & Differt. XIV.

vello citatis dixisset ideo Pindarum Epharmosti, simulque Lampromachi laudes coniunxisse quod una eademque die ipsorum prior Olympicis, posterior Isthmicis Ludis palmam retulisset, repente subdit: ἔνιοι δὲ ὅτι οἱ δύο Ἴσθμια ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐνίκησαν *iuxta alios vero quia ambo Isthmia una* eademque *die vicerunt*; quemadmodum Scholiastes alius adnotavit Λαμπρόμαχος συγγενὴς Ἐφαρμόστου κατὰ μίαν ἡμέραν Ἴσθμια σὺν αὐτῷ νικήσας *Lampromachus Epharmosti cognatus eadem die Isthmicis Ludis cum illo victoriam adeptus*; quod nimirum in Istmicis Ludis non palaestra solum, sed plura etiam alia certamina committerentur, adeoque plures ex Ludis ipsis una eademque die veluti victores discederent. At Scholiastes alius eadem illa Pindari verba declarans ait: ὁμοῦ δὲ νενικήκασιν Ἴσθμια, καὶ Νέμεα τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ αὐτὸς, καὶ Ἐφάρμοστος *simul autem vicerunt Isthmia, & Nemea eadem die* Lampromachus *ipse, & Epharmostus*. An Scholiastes iste veram Pindari sententiam nobis expresserit non facile profecto ego dixerim; cum Isthmiacam Lampromachi victoriam hic Pindarus, simulque binas in Isthmo, aliamque in Nemea Epharmosti palmam coniunxerit; adeoque incertum plane, obscurum, atque Interpretibus divinandum reliquerit quae fuerint coronae, quas uno eodemque die victores illic retulerunt. Cum tamen Pindarus ipse diserte dixerit Isthmiacam, atque Nemeacam Epharmosti victoriam contigisse ἔπειτα *postea* quam Lampromachus in Isthmo palmam retulerat, atque Lampromachum ipsum non Nemea, sed Isthmia solum vicisse ostenderit, perspicue apparet Lampromachum Isthmiacam solum coronam adeptum esse, idque prius, & alio prorsus anno, quam Epharmastus ex Nemeis Ludis victor excederet: Ergo, si Scholiastes ille Nemeacam huius victoriam, simulque Isthmiacam alterius palmam τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ *eadem die* contigisse scribit, manifestissime inferri poterit quod ex Scholiastis huius hypothesi, qui veram Isthmiadum, atque Nemeadum diem ignorare certe non poterat, Nemeaci, ac Isthmiaci Ludi una eademque eiusdem civilis mensis die, diversis tamen annis, redire, vel celebrari consueverant; adeoque, si Nemea *duodecima* Panemi, sive Hecatombaeonis Attici die peragebantur, ut superius est observatum, Isthmia quoque ad eandem illam Hecatombaeonis Attici diem referri debent. Exinde vero iam facile Scaligeri sententen-

tentia refelli poterit, qui Isthmiadas ineunte Hyperberetaeo Macedonum mense, prima nimirum ipsius die, peractas esse putavit [1]; simulque Olympia, quae primo Elidensium mense celebrata testatur, in Hyperberetaei plenilunium incidisse voluit [2], idque ex superiori Pindarici Scholiastae loco deduci posse contendit. At ambiguus ille Scholiastae locus, simulque depravatus Demosthenis textus doctissimo, atque immortali Viro facile imposuit. Etenim, ut in Fastis Atticis, paulloque superius ostendi, primus Elidensium mensis, atque Atticus Hecatombaeon non Hyperberetaeo, sed Loo Macedonum mensi accuratissime coniungebatur; adeoque, si Scaligero ipso teste Isthmiaci Ludi in Olympicos dies incidebant, Isthmiades ipsae, ac Olympia non Hyperberetaeo, sed Loo Macedonico adscribi, atque Isthmiades non *novilunio*, sed, Olympiadum instar, *plenilunio* potius concedi debent.

V. Atque hactenus quidem de Isthmiacis Ludis illis, qui in *primos* Olympiadum annos incidere consueverant, atque certissime aestate peragebantur, ut ex Thucydide, [3], Livio [4], aliisque facile ostendi potest. Quod vero ad Isthmiades alias attinet, quae *tertiis* Olympiadum annis celebrabantur, illas non ineuntibus quidem, sed *mediis* solum Olympicis annis redire consuevisse putavit Dodvellus [5]; adeoque Isthmiadas ipsas, Nemeadum instar, alterne *aestivas*, ac *hybernas* esse contendit; ut *primis* nimirum annis in duodecimam Hecatombaeonis Attici diem, *tertiis* vero in duodecimam Gamelionis inciderent: idque facile Isthmiadum exemplis, quae supersunt, ostendi posse putavit. Doctissimi tamen, atque eruditissimi Viri pace tantum abest ut illustribus illis Isthmiadum exemplis ipsius hypothesis ostendatur, ut exinde potius manifestissime deduci possit Isthmiades illas, quae *tertiis* Olympiadum annis redibant, exeunte fere Olympico anno, hoc est Munychione, vel Thargelione mense, peragi consuevisse. Id ego primum ex pulcherrimo Xenophontis testimonio deprehendisse videor, quo nullum certe gravius, aut illustrius afferri posse putaverim, sive Scriptoris indolem, ac gravitatem, sive perspicuos temporum characteres spectaveris, quibus historiam ipsam veluti luminibus exor-

(1) De Emend. Temp Lib. I. Pag. 39. (2) Lib V. Pag. 382. (3) Lib VIII. c. 10. (4) Lib XXXII. (5) Differt. VI. Sect. 2. & 18 & Differt. VII. Sect. 7.

exornavit. Accuratiſſimus Scriptor ille res ab Ageſilao ex Aſia reduce in Graecia geſtas complexus ait Ageſilao Boeotorum fines ingreſſo Solis eclipſim contigiſſe; ipſique victoriam ſupra Lacedaemonios apud Gnidum a Conone partam nunciatam eſſe; mox Thebanos ingenti praelio prope Coroneam ab Ageſilao ſuperatos eſſe; Ageſilaum ipſum vulneribus in pugna acceptis ſaucium Delphos delatum fuiſſe; Delphis Lacedaemonem contendiſſe; indeque comparato exercitu ad Corinthiacum Iſthmum acceſſiſſe: ϗ πρῶτον μὲν ἦλθεν ἐς Ἴσθμόν. ϗ γὰρ ἦν ὁ μὴν, ἐν ῷ Ἴσθμια γίγνεται. ϗ οἱ Ἀργεῖοι αὐτοῦ ἐτύγχανον τότε ποιοῦντες τὴν θυσίαν τῷ Ποσειδῶνι, ὡς Ἄργους ϗ Κορίνθου ὄντος: *primum quidem ad Iſthmum progreſſus eſt; erat enim menſis, quo Iſthmia celebrari conſueverant. Aderant tum Argivi, Neptunoque ſacra inſtaurabant, tanquam plane Corinthus ſub Argivis eſſet.* Tum ſubdit Xenophon ab exſulibus etiam Corinthiis, qui cum Ageſilao erant, Iſthmiacos Ludos celebratos eſſe, quartaque inde die Ageſilaum cum militibus, qui *aeſtivis veſtibus* induti erant, montes occupaſſe; ipſique tum cladem a Lacedaemoniis prope Lechaeum acceptam nunciatam eſſe; quod Amyclaei nimirum Lechaei cuſtodes Spartam ad Hyacinthia feſta convolaſſent. Denique concludit Xenophon Ageſilaum inſtante autumno Spartam rediiſſe, veriſque ſequentis initio in Acarnanas exercitum duxiſſe (1). Haec ipſa rerum, temporumque ſeries, quae a Xenophonte, coaevo nimirum, diligentiſſimo, atque Ageſilai ipſius comite Scriptore prodita fuerat, a Plutarcho quoque eodem prorſus ordine, expreſſis etiam *eclipſis Pythiorum*, ac *Iſthmiorum* characteribus, accurate deſcribitur (2); ut nihil proinde in temporum illorum hiſtoria, vel certius, vel illuſtrius haberi poſſe merito videatur. Itaque, cum eclipſis decimaquarta Auguſti die anno 3. Olymp. XCVI contigerit; navalis Cononis victoria ἐπ' Εὐβούλου Ἄρχοντος *Eubulide* Athenis *Archonte*, hoc eſt 3. ipſo Olympiadis parta fuerit, ut coaevus Scriptor Lyſias (3) teſtatur; Pythicique Ludi mox inſequuti ad Munychionem menſem eiuſdem anni manifeſtiſſime referri debeant, ut ſuperius oſtendi (4); quis aperte non videat Iſthmiacos Ludos, qui inſtante iam proximae aeſtatis tempore ſunt celebrati, non ad medium, ut Dodvellus exiſtimavit, ſed ad exeuntem potius tertium Olympiadis an-

M num

(1) Lib IV. c. 5. (2) In Ageſilao. (3) Orat. pro Ariſtoph. (4) Diſſer. II. Num. X.

num spectasse? cumque Xenophon nitide, diserteque dixerit tunc mensem illum fuisse, quo *Isthmia peragi consueverant*, manifestissime inferri debet quod Isthmiades exeuntibus tertiis Olympiadum annis veteri, solemnique ritu peragebantur.

VI. Video quidem clarissimum, atque in excutiendis eiusmodi rebus principem virum Dodvellum Isthmiacos Ludos a Xenophonte, ceterisque Scriptoribus memoratos ad annum 1. Olymp. XCVII. revocasse [1]: perinde quasi in *decimum nonum* Xenophontis annum inciderint. Sed elegans hypothesis illa de alternis Isthmiis, quam Dodvellus ipse conceperat, in errorem ipsum abripuit; cumque Xenophonteam Isthmiadem ad hiemem anni *tertii* referri non posse intelligeret, ad *primum* sequentis Olympiadis annum revocandam esse putavit; ut nimirum *aestiva* fieret, quandoquidem ex recepta semel hypothesi *biberna* esse non poterat. Perspicua tamen, sibique mirifice connexa rerum series, quae a Xenophonte utrobique contexitur pati non potest ut aestas illa, vel Isthmiadis tempus, sive Agesilai expeditio a Pythiorum tempore, victoriaque Coroneae parta divellatur, ac ingens hiatus ille in Xenophontis historia admittatur, qui res omnes ab illo exeunte *tertio*, integroque *quarto* Olympiadis anno praeclare gestas absorbuerit. Accedit etiam quod Lechaei expugnatio, atque Lacedaemoniorum clades anno 4. ut testatur Diodorus, sive potius 3 Olymp. XCVI. ut ex Aristide mox ostendetur, contigisse debuit; adeoque, cum Isthmiaci Ludi cladem illam praecesserint, ipsi ad *primum* sequentis Olympiadis annum diferri certe non poterunt. Itaque non alteri, quam *tertio*, Olympiadis anno Isthmias illa concedi debet; cumque post Pythia, ac ineunte aestate peracta illa fuerit, manifestissime inferri debet quod *tertiorum* annorum Isthmiades non mediis, ut volebat Dodvellus, sed exeuntibus fere Olympiadum annis committebantur.

VII. Clarius id etiam ostendi, simulque verus Isthmiadum mensis ex Hyacinthiorum tempore deduci poterit. Etenim Xenophon laudato superius loco, iterumque in *Oratione de Laudibus Agesilai* nitide, diserteque testatur Isthmiadem illam post Pythia quidem, sed ante Hyacinthia peractam esse: quemadmodum Pausanias, [2] ubi dixisset Agesilaum celebratis non ita mul-

(1) Differt. VI. Sect. 2. (2) Laconic. c. 10.

multo post victoriam Coroneae partam Isthmiis Spartam rediisse, subdit ipsum Corinthum rursus concessisse, Amyclaeos ad Hyacinthia festa dimisisse, ipsosque ab Atheniensibus Iphicrate duce superatos fuisse priusquam rex in Aetoliam, atque Acarnaniam contenderet. Itaque, cum Hyacinthia Festa veteri constantique more Thargelione mense celebrarentur, ut ex Thucydide Dodvellus (1) ipse observavit; ac Pythia in *primam*, sive *septimam* Munychionis praecedentis diem inciderent, Isthmiaci Ludi, vel Munychioni exeunti, vel affecto potius Thargelioni adscribi debent; ut illa rerum, itinerumque susceptorum varietas exponi possit, quae a Xenophonte, Plutarcho, & Pausania memoratur. Quo quidem loco Dodvellum ipsum falli, sibique non constare putaverim, ubi Hecatombeum Laconum mensem, quo Hyacinthia Festa celebrari consuevisse scribit Hesychius, Hecatombaeoni Attico committendum esse putavit; cumque Hyacinthia ipsa Thargelioni mensi pridem concesserit, hypothesis huius immemor non alio, quam Hecatombaeone, mense ea peragi consuevisse testatur: *erant enim*, inquit, *Isthmiis, quae vere ineunte celebrari solebant, seriora* (2); idque pulcherrimo Isthmiadis illius exemplo perspicuum esse contendit, quae a Xenophonte memoratur: quamvis Isthmiadem illam Dodvellus non *ineunte vere*, sed *aestate* potius, hoc est duodecima Hecatombaeonis Attici die peractam esse iam dixerit; atque Isthmiades alias non *veri*, sed *hiemi* potius concesserit. Ceterum, ne fluxis eiusmodi Dodvelli coniecturis hic immorer, Hyacinthia Festa, vel Thargelioni, vel Scirrhophorioni quoque, si libeat, adscribenda putaverim. Perspicua nimirum rerum series a Thucydide, & Xenophonte exposita ostendit Hyacinthia Festa celebrata fore antequam Olympicus annus excederet; & quamvis etiam aliquis Festorum dies in Hecatombaeonem mensem, novumque Olympicum annum incidisse dicatur, Isthmiaci tamen Ludi, atque Atheniensium victoria ad Lechaeum, quae proxime Ludos ipsos est consequuta, ad exeuntem *tertium* Olympiadis annum certissime referri debet: cum Aristides etiam aperte dixerit quod τῆς ἐν Κορίνθῳ μάχης, κ̀ τῆς ἐν Λεχαίῳ μέσων Ἄρχων Εὐβουλίδης (3) *inter praelium autem, quod Corinthi, & quod in Lechaeo gestum est, medius Archon Eubulides*; ac Diodorus



(1) Annal. Thucyd. ad an. I. Olym. 90. (2) Differt. VIII. Sect 17. (3) Platonica II.

rus [1] ipse, qui Lechaei custodes anno 4. Olymp. XCVI interemptos esse scribit, Lechaeum tamen ipsum a Lacedaemoniis occupatum, Isthmiacosque Ludos celebratos esse testatur anno 3. quo Eubulides Archon erat.

VIII. Denique, ne coniecturas alias, aut argumenta nunc prosequar, *vernarum* Isthmiadum tempus ex pulcherrimo quoque Demosthenis loco deprehendisse videor, quem ceteris tamen Scriptoribus omnibus ignoratum, vel dissimulatum esse conspicio; quamvis illo non Isthmiadum solum, sed Nemeadum quoque tempus a me constitutum perspicue confirmari videatur. Gravissimus, atque accuratissimus Orator ille Decretum exhibet [2], quo Byzantiorum, simulque Perinthiorum Senatus illustres Atheniensi Populo honores constituit quod Byzantiis, ac Perinthiis incredibili studio, atque ardore opem tulisset, dum ipsorum Civitas acri bello a Philippo Macedone premeretur. Itaque post honores alios, iura, immunitates, coronas, praeconia Atheniensi Populo liberalissime concessa statuitur: ἀποστεῖλαι καὶ τὰς δωρεὰς ἐς τὰς ἐν τῇ Ἑλλάδι Πανεγύριας, Ἴσθμια, καὶ Νέμεα, καὶ Ὀλύμπια, καὶ Πύθια. καὶ ἀνακαρύξαι τῷ στεφάνῳ, ᾧ συστεφάνωται ὁ δᾶμος ὁ Ἀθηναίων: *mittenda etiam esse munera in celebres Graeciae Conventus, Isthmia, & Nemea, & Olympia, & Pythia; & proclamandam coronam, qua donatus est Populus Atheniensis.* Quis in eiusmodi Graeciae Conventibus hic ordine recensendis ipsorum nomina temere solum, atque inconsulto memorata fore putaverit, non vero potius intelligat, atque ingenue fateatur caussam aliquam, vel rationem esse oportere, qua Ludorum series in publico, solemnique Monumento hoc uno potius, quam alio, ordine contexeretur? At series illa, vel ratio ex eiusmodi Ludorum praestantia, ac celebritate pendere certe non poterat: alioquin Olympici, Pythicique Ludi, qui ceteros omnes excellere videbantur, non postremum, sed principem sane locum occupassent. Ergo series illa, vel ordinis caussa alio prorsus ex fonte deduci debet. Vndenam vero verisimilius repetendam hanc esse putabimus, quam ex ipsa temporum serie, vel ordine, quo, dum celebre Decretum illud a Byzantiis edebatur, Agones ipsi celebrandi fuerant; ut ille proinde omnium primus hic ordine recenseretur, qui proxime erat futurus? Id ipse

(1) Lib. XIV. c. 86. & sequ (2) Orat. de Corona Pag. 325.

ipse certe maximus, atque incredibilis Byzantiorum ardor exigere videbatur; ut quemadmodum perenni quodam, ac illustri Monimento gratum animum Atheniensi Populo testari voluerunt, ita quoque coronam, laudisque praeconium prius in Ludis illis publicandum decernerent, qui proxime celebrandi fuerant: quemadmodum fere Athenienses, atque Argivi foedera inter ipsos inita Ὀλυμπίοις τοῖς νυνὶ *Olympiis, quae nunc sunt*, publicari voluerunt, ut in ipso Foederis Psephismate apud Thucydidem (1) observavi. Accedit etiam quod Perinthi, simulque Byzantii obsidio, quamvis a Diodoro, qui res gestas uno serius anno consignare solet, in annum 4. Olymp. CIX. conferatur (2), ad superiorem, sive 3. Olympiadis annum propemodum exeuntem, certissime referri debet; ideoque, si Decretum post diremptam obsidionem, adeoque *tertio* Olympiadis anno editum fuit, proxime post editi Decreti tempus non alii, quam Isthmiaci, Ludi erant futuri. Itaque, si veram ordinis caussam, atque originem hic ego deprehenderim, proxime post editi Decreti tempus *Isthmia*, tum *Nemea*, mox *Olympia*, tandemque *Pythia* erant futura. Id vero facile intelligi, atque mirifice componi poterit si hypothesis illa eligatur, quam ipse omnium primus exposui; adeoque Nemeades quidem ad *quartos* ineuntes, Isthmiades autem ad *tertios* propemodum exeuntes Olympiadum annos, nimirum post Pythia vere peracta, referantur. Ita nimirum Decretum ipsum post Pythia, vel labente vere anno 3. Olymp. CIX. editum fuerit. Proxime *verna* Isthmias eodem anno *tertio* celebranda fuerat; ineunte *quarto* eiusdem Olympiadis anno *aestiva* Nemeas erat futura: anno sequentis Olympiadis *primo* celebrari debebant Olympia; *tertii* denique sequentis vere Pythia peragenda fuerant: quatuor nimirum Agones illi eodem prorsus ordine celebrandi, quo illos in Decreto recensitos esse conspicimus. Sin vero quaecumque hypothesis alia cum Scaligero, sive Dodvello eligatur, atque Nemeades ad *primos*, & *tertios* Olympiadum annos referantur, hibernaeque Isthmiades anno *tertio* ante Pythia collocentur, perspicuus, & constans Ludorum ordo exsculpi certe non poterit, quo prius *Isthmia*, mox *Nemea*, tum *Olympia*, ac postremo *Pythia* celebrari debuerint. Ergo, vel Ludos illos in pulcher-

(1) Lib. V. c. 47. (2) Lib. XVI. c. 75

cherrimo Demosthenis loco temere prorsus, & inconsulto nominatos esse putabimus; vel potius Isthmiades *tertiis* annis propemodum exeuntibus adscribi debent. Quamvis tamen Isthmiades ipsae, quae ineuntibus *primis* Olympiadum annis peractae fuerant, non mediis, ut volebat Dodvellus, sed exeuntibus solum *tertiis* Olympiadum annis redire, vel instaurari consueverint, optime tamen illae non *tetraetericae*, sed *trietericae* potius vocari, censerique poterant; quod nimirum duobus absolutis annis, tertioque affecto quidem, sed nondum tamen exacto, peragerentur: quemadmodum prorsus Nemeades etiam ipsae *trietericae* vocabantur, quamvis ab *aestivis* ad *hibernas* usque *triginta* saltem menses, adeoque tres integri propemodum anni, intercederent.

IX. Exinde vero iam facile intelligi, exponique poterit insignis ille Aristotelis locus, quem ex Fabro Petitus arripuerat, quique a Dodvello subtiliter quidem, ac ingeniose, sed infeliciter tamen, expositus fuit; quod temere nimirum ille Nemeadas, Pythiadas, atque Isthmiadas collocarit: quarum situs, verumque tempus a me constitutum eodem ipso Philosophi loco pulcherrime confirmatur. Itaque observat Aristoteles quod, ubi de praeteritis quidem rebus agitur, *priora* dicuntur illa, quae ab ipso *nunc*, sive praesenti tempore, remotiora fuerint; ubi vero de futuris differitur, *priora* vicissim vocantur illa, quae ipsi *nunc*, praesentique tempori proximiora sint: idque ut exemplis etiam ostenderet ait: πρότερον γὰρ Νέμεα τῶν Πυθίων, ὅτι ἐγγύτερον τοῦ νῦν (1) *etenim Nemea sunt Pythiis priora: quod ipsi nunc proximiora* illa sint. Verus, simulque perspicuus Aristotelis sensus hic esse debet quod proxime post tempus illud, quo Philosophus ista scribebat, *Nemea*, simulque *Pythia* erant *futura*, sed ita tamen ut prius Nemea, quam Pythia, celebranda forent, nullumque Ludicrum, aut Festum aliud inter Nemea, & Pythia mox futura incidere, vel celebrari deberet; ne scilicet Aristoteles, proximioribus Festis aliis omissis, ad remotiora solum, atque disiecta temere transiliret. Id vero perspicue, mireque conspirat si Aristoteles illa, ut verisimillimum existimo, labente *primo*, sive ineunte *secundo*, Olympiadis anno scriptis ediderit, atque in definiendo Nemeadum, Pythiadum, ac

(1) Metaph. IV. c. 11.

ac Isthmiadum situ hypothesis eligatur, quam superius exposui. Siquidem Nemea *hiberna* in medium *secundum* annum incidissent. Proxime post illa Pythici Ludi Munychione mense anni *tertii* celebrandi fuissent; eodemque *tertio* propemodum exeunte Isthmiaci post Pythicos peragendi. Sin vero quamlibet hypothesim, vel opinionem aliam elegeris, tertiorumque annorum Isthmiades Gamelione mense celebratas esse cum Dodvello putaveris, semper obscuritas, atque perplexitas offendetur; ut Pythici nimirum Ludi Nemeacos non sequi, sed praecedere, videantur; aut certe, si Nemeaci praecesserint, semper tamen inter Nemeacos ipsos, ac Pythicos Isthmiaci incidere debeant: quorum utrumque a perspicuo, nativoque Aristotelis sensu dissidere iam diximus. Atque optime id quidem Dodvellus ipse iam viderat, qui quamvis in definiendo Ludorum omnium tempore mirifice aberraverit, Pythicos tamen Ludos proxime post Nemeacos ex Aristotelis mente collocandos esse putavit; adeoque Aristotelem ante Nemeos hibernos scripsisse voluit. *Si enim*, inquit ille, *initio* anni Olympici *tertii*, *ante Nemea tamen*, *tunc aestiva*, *scripsisset*, *sic ante Pythia proxima anno Olympico quarto exeunte futura* media *fuissent illius anni Olympici tertii* hiberna *Isthmia*. *Hoc autem incommodum nullum fuisset si ante Nemea anni Olympici primi scripserit* hiberna. *Sic enim nulli Ludorum quatuor celebrium* Pythiis *anni* Olympici *secundi desinentis priores occurrissent* (1). Quo certe loco Dodvellus ipse decipitur non modo quod Isthmiades quasdam *hibernas* esse putavit, atque Nemeades *primis*, ac *tertiis* Olympiadum annis concesserit; verum etiam quod Pythia *anno Olympico quarto exeunte futura*, adeoque *trieterica* fuisse credidit; quemadmodum certe alibi quoque perspicue, diserteque dixerat quod *Nemei*, *similiter ut Pythii*, *atque Isthmii Ludi*, *trieterici erant* (2): cum tamen Nemei quidem, atque Isthmii *trieterici* forent, Pythii vero, Olympicorum instar, *pentaeterici* solum fuerint; ut una, constantique Scriptorum omnium voce erudimur, alibique Dodvellus ipse testatur.

X. Ex ipso quoque Isthmiadum vernarum tempore insignem etiam Pindarici Scholiastae locum intelligi, simulque ve-

(1) Dissert. VII. Sect. 4. (2) Dissert. VII. Sect. 1.

verum Asclepiorum tempus definiri posse putaverim. Dixerat Pindarus [1] Aristoclidem Aeginetam non solum Nemea pancratio vicisse, sed in Asclepiis etiam Epidauri, & Megaris Ludis palmam retulisse. Ad illa Pindari verba adnotavit Scholiastes: τίθεται δὲ ἐν Ἐπιδαύρῳ Ἀγὼν Ἀσκληπιῷ, τῶν Ἀσκληπιαδῶν πρώτων θέντων, μετὰ ταῦτα δὲ Ἀργείων Ἀσκληπιῷ διὰ πενταετηρίδος. Τίθεται δὲ ἐν τῷ ἄλσει τοῦ Ἀσκληπιοῦ. Ἄγεται δὲ μετὰ ἐννέα ἡμέρας τῶν Ἰσθμίων. Τὰ Μέγαρα δὲ προάγεται, εὐθέως ἔαρος ἀρχομένου: *celebratur vero Aesculapio Agon in Epidauro, ab Asclepiadeis quidem primum, deinde vero ab Argivis constitutus. Celebratur autem in Aesculapii luco; agiturque novem diebus post Isthmia. Megara vero prius celebrantur in ipso veris initio*. Clarissimus Dodvellus hic asserit *de Isthmiis aestivis hoc in loco agi manifestum esse, cum Megara praecedere dicantur, primo nempe vere ineunte celebrata;* adeoque concludit *fieri posse ut hiberna fuerint illius anni Nemea, cuius pancratium vicerit Aristoclides Aegineta, in quem scripsit Odem illam Pindarus* [2]. Ego vero doctissimi Dodvelli pace de *vernis* potius, quam *aestivis*, Isthmiis hic agi putaverim. Cum enim *aestiva* Isthmia in ipsos Olympiorum dies inciderent, si Asclepia Festa post Isthmiadas aestivas celebrari consuevissent, facile Scholiastes ille non Isthmia, sed Olympia potius, veluti perspicuum certumque temporis characterem, expressisset. Ad haec Plato Socratem cum Ione quodam Ephesio loquentem inducit, qui in Epidauriis Asclepiis prima inter Rhapsodos tunc temporis primum admissos praemia retulerat, nuperque victoria parta Athenas concesserat. Itaque, cum Socrates, atque Ion futurum facile dixerit ut in Panathenaeis etiam victoriam consequatur, non obscure, ut opinor, significat certaminis huius, victoriaeque amore Ionem Epidauro Athenas concessisse; adeoque Panathenaea Festa non diu post Asclepia celebranda fore. Id vero facile intelligi, vel explicari commode poterit si Asclepia Festa post *vernas* Isthmiades celebrata fuerint. Ita nimirum Megara *ineunte vere* praecessissent; tum Isthmia Thargelione mense peracta; post novem dies in Epidauro Asclepia; duodecima vero sequentis Hecatombaeonis Attici die Panathenaea. Etenim, quamvis Meursius maiora quidem Panathenaea, quae *pentaeterica* fuerant, ac *ter-*

(1) Nem. III. vers. 135. (2) Dissert. VI. Sect. 19. (3) In Ione.

*tertiis* Olympiadum annis celebrari consueverant, Hecatombaeoni mensi concesserit [1], minora vero, vel annua, Thargelione mense peragi existimaverit [2]; utraque tamen, sive *maiora*, sive *minora* illa fuerint, eodem ipso Hecatombaeone mense redibant, ut in Fastis Atticis opportunius ostendi [3]; simulque novam Dodvelli [4] hypothesim confutavi, qui ambiguo Thucydidis [5] testimonio fretus Panathenaea Festa 21. Scirrhophorionis die celebrata fore putavit. Itaque, si Isthmias illa, quae Asclepia Festa proxime praecedebat, *aestiva* fuisset, minora Panathenaea nonnisi peracto integri anni spatio redire poterant, maiora vero, vel pentaeterica nonnisi post duos integros annos erant futura: quod a perspicuo Socratis, sive Platonis sensu facile abhorrebit, qui Panathenaea non diu post Asclepia Festa celebranda fore significat. Denique, ne coniecturas alias hic persequar, tota Dodvelli hypothesis in definiendo Asclepiorum tempore exinde veluti fonte deducitur, quod Isthmiadas omnes vel *hibernas*, vel *aestivas* esse crediderit, nullamque prorsus Isthmiadem post Megara, sive veris initium, celebrari potuisse putavit, nisi in aestatem, primosque Oympiadum annos incideret. Itaque, cum argumentis aliis ostenderim Isthmiades non *hibernas*, sed *vernas* solum fuisse, Isthmiades nimirum illas, quae *tertiis* Olympicis annis redibant, post Pythia, adeoque post Megara, verisque initium peractas esse, verisimilius est certe Asclepia Festa, quae Megara, simulque Isthmia proxime consequebantur, ad *vernas* Isthmiadas, adeoque *tertios* Olympiadum annos referenda fore; ut proinde Asclepia Epidauri non *vicesima* Hecatombaeonis Attici die, sed exeunte potius Thargelione mense peragerentur; quemadmodum Athenis Asclepia Festa *octava* Elaphebolionis die celebrari consuevisse perspicuo Aeschinis testimonio ipse omnium primus ostendi [6].

XI. Quo vero tempore constans illa, ac solemnis Isthmiorum celebritas tandem abolita, sive sublata fuerit certo coniicere, vel definire non possumus. Ipsa quoque Iuliani Caesaris aetate Isthmiacos etiam Ludos una cum ceteris adhuc peragi consuevisse illustri Caesaris ipsius testimonio erudimur, quod op-

N por-

(1) Panathen. c. 6. (2) Ibi & c. 8. (3) Differt. XIII. (4) Annal. Thucyd. ad an. 4. Olymp. 89. (5) Lib. V. c. 42. (6) Differt. III. Num. 24. & XIII.

portunius expôsui ubi de Nemeis, atque Olympicis ageretur. Id vero facile perſpicuo quoque Libanii teſtimonio, qui iiſdem fere temporibus cum Iuliano floruerat, uberius confirmari poſſe conſpicio. Etenim in Oratione VII. ad Iulianum Caeſarem dicitur: ἐλαύνων δὲ εἰς Ἴσθμὸν ὑπὲρ τῶν τῇδε Μυστηρίων (1) *tendens porro ad Iſthmum ob initia*, vel Myſteria, *Iſthmica*. Quamvis enim elegans Scriptor ille non *Agonis*, aut *Panegyris*, aliorum inſtar, ſed inſolitam hanc *Myſteriorum* vocem hic uſurpaverit; perſpicuum eſt tamen ipſius verba de Iſthmiacis ſolum Ludis intelligendà fore, ut ex ipſa temporum ſerie, integroque Orationis contextu deducitur. Ita quoque Libanius ipſe *Olympiorum* ſemel, iterumque meminit; quamvis id non de *Elidenſibus*, ſed *Antiochenis* ſolum Olympiis intelligi profecto debeat. Etenim Oratione *de Vita ſua* ait ἦν μὲν Ὀλύμπια τὰ παρ' ἡμῖν, ἔτος δὲ ἐμοὶ πεντηκοστὸν (2) *erant quidem Olympia, quae apud nos Antiochenos celebrantur, mihique quinquageſimus aetatis annus* agebatur: quemadmodum Orat. XXII. in *quartum decimum* ſuae aetatis annum eadem illa Antiochena Olympia incidiſſe teſtatur. Itaque praeclare fallitur Van-Dalius, qui *de Ludis Olympicis Antiochenſibus nullam fieri alicubi mentionem* ait, *niſi apud ineditum adhuc Iohannem Antiochenum* (3), ſive Malelam; adeoque, cum Malelae hiſtoriolam fabuloſam, *pictoriſque pergulae* ſimilem eſſe putaverit, Prideauxio vitio vertit quod Olympiis aliis *Antiochenſia* quoque accenſuerit, ut opportune iam monui ubi de Olympiis ageretur. Illud hic etiam obſervari merito velim quod Antiochenorum Olympia, Elidenſium inſtar, aeſtate peragebantur. Siquidem Libanius (4) ipſe diſerte dicit καίτοι τὰ μὲν Ὀλύμπια θέρους ἐστὶ ἑορτή *& tamen Olympia aeſtivae tempeſtatis Feſta ſunt*: etſi non facile profecto ego dixerim an eodem ipſo menſe committerentur, quo in Elide celebrari conſueverant; cum praeſertim Malela calendis ipſis Hyperberetaei Ludos illos Antiochiae celebratos fuiſſe ſcripſerit; perinde quaſi in dies, vel calendas illas inciderint, a quibus civiles Antiochenorum annos, veluti cardine, deductos eſſe iam diximus. Illud hic etiam obſervari facile poterit quod ex Malelae hypotheſi Olympici Antiochenorum Ludi ab Afranio ſunt inſtaurati anno Chriſti

213.

(1) Pag. 211. Tomi II. (2) Pag. 6. Tomi I. (3) De Marmor. Differt. VII. c. 1. Pag. 524.
(4) Pag. 222.

213. adeoque, si perenni quadam, constantique periodo singulis quadrienniis illi redire consueverint, in annum Christi 329. incidissent, quo Libanius anno Chr. 314. certissime in lucem editus *quartum decimum* aetatis annum agebat: quippe qui facile post Olympicum mensem, adeoque exeunte fere anno Chr. 314. natus erat.

XII. Valentiniani quoque Caesaris temporibus, qui proximo post Iuliani Parabatae caedem anno imperium suscepit, *Athletica Certamina* adhuc in variis Orientis, ac Occidentis regionibus extitisse ex illustri Marmore deprehendi poterit; in quo, licet Olympia, vel ceteri tres celeberrimi Graeciae Ludi minime memorentur, perspicue tamen inferri posse putaverim ipsos etiam cum ceteris Certaminibus adhuc peragi consuevisse. Rheinesius omnium primus Marmor illud exhibuit Classe V. Num. 44. & ex illo Van-Dalius Dissert. VIII. Pag. 638. quamvis Sponius, cuius exemplar hic exprimam, emendatius illud ediderit in Miscell. Erudit. Antiqu. Sect. X. Num. 108.

*Romae in Palatio Chigi*

FILVMENVM
DDD. ET PRINCIPES N̄ VALENTINIAN.
VALENS ET GRATIANVS SEMP. AVG.G.
FILVMENVM IN OMNI ACLHETICO CER
TAMINE AB ORIENTE AD OCCIDENTE VSQ.
VICTOREM PAMMACHO LVCTA PRANCATI
CESTIBVSQ. ID EST PYCME LOCATIONE STA
TVAE IN ACLETARVM CVRIA ETERNITA
TIS GLORIA DIGNVM ESSE IVDICARVNT
QVOD OMNES XYSTICI GRATANTER
ACCEPERVNT SEN. PARITER SIMVLQ.
P. R. INGENTI FABORE PROSECVTVS EST

itaque, si Philumenus ille, qui in Graeca Olympiadum Recensione Philadelphiensis ex Lydia fuisse, magnique Theodosii aetate vixisse dicitur, *in omni Athletico Certamine ad Oriente ad Occidentem usque victor* fuit, dubitari certe non poterit quin is aut in omnibus, aut in aliquo saltem ex illustrioribus Grae-

ciae Ludis palmam retulerit; &, quamvis etiam id temere, atque immerito prorſus in dubium revocetur, perſpicuum tamen erit athleticos Ludos alios iis temporibus extitiſſe; adeoque Olympia quoque, Pythia, Nemea, atque Iſthmia adhuc peragi conſueviſſe, quae ceteros Ludos omnes excellere merito videbantur. Quaecumque vero de Philumeno Certaminum omnium victore iam diximus de Hieronicis etiam illis intelligi profecto debent, qui *Periodonicae*, vel interdum etiam *Periodi* nominantur; ſicuti viciſſim perſpicuo Periodonicarum ipſorum exemplo obſcuriores illae Philumeni victoriae confirmari. Itaque *in Gymnicis Certaminibus*, ut Feſtus obſervavit, *Perihodon viciſſe dicitur, qui Pythia, Iſthmia, Nemea, Olympia vicit, a circumitu eorum Spectaculorum*: quamvis alia fortaſſe vocis ſignificatio ex variis exemplis inferatur; perinde quaſi unius ſolum Ludi, ſive Agonis victori *periodus* illa concedatur. Frequentiſſima eiuſmodi Victorum mentio in Scriptoribus, atque Marmoribus etiam occurrit. Ita Nero Caeſar *Periodonices* appellatur [1]: Herodorus Megarenſis viciſſe dicitur cantu ἐπὶ περίοδον *in Periodo*: apud Africanum Antenor Athenienſis viciſſe legitur Olymp. CXVIII. παγκράτιον περίοδον *pancratio Periodum*; Moſchus Colophonius Olymp. CXLV. παιδικὴν περίοδον *Puerorum Periodum*: Cleoxenus Alexandrinus Olymp. CXXXV. περιοδονίκης πύγμην *Periodonices pugil* vocatur; quod pluribus etiam perſpicuis exemplis aliis oſtendi poſſet. Sin vero Marmora conſulantur, ut pluribus exemplis aliis abſtineam, in pulcherrimo, alibique laudato Marmore, quod a Grutero Pag. 313. & 314. exhibetur, M. Aurelius Aſclepiades, itidemque eius pater Demetrius Hermapolites Παγκρατιάστης Περιοδονίκης *Pancratiaſta Periodonices* appellatur; quemadmodum prorſus in lapidibus aliis M. Aurelius Demoſtratus, & M. Vlpius Domeſticus eodem *Periodonicae* nomine decorantur: quamvis in alio Marmore Cl. Rufus δὶς Περίοδος *bis Periodus*, ſive Periodi victor, dicatur: eiuſque etiam pater Cl. Apollonius Περίοδος τέλειος ἄνδρων, ſive, ut Van-Dalius reſcribendum aſſerit, [3] τελείων ἄνδρων *Victor in Periodo adultorum Virorum* vocatur.

XIII. Denique non Iſthmiis ſolum, ſed pluribus etiam Agoni-

1) Zonar. Annal. II. (2) Athen. Lib. X. c. 3. & Pollux IV. c. 11. (3) Vid. Van-Dale Differt. VIII. Pag. 640.

nibus aliis opportune illustrandis eximium Marmor aliud coronidis loco subiecisse nunc iuverit; ut vicissim perspicui temporum characteres in illo expressi, atque a Rheinesio [1], Sponio [2], simulque Van-Dalio, qui Marmor ipsum explicarunt, dissimulati accurate observentur.

*Neapoli*

Τ. ΦΛΑΤΙΟΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΡΟΤ. ΤΙΟΣ. ΚΤΡΕΙΝΑ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΡΟΣ
ΑΔΑΝΕΤΣ. ΚΑΙ ΑΝΤΙΟΧΕΤΣ. ΝΙΚΗΣΑΣ. ΤΟΝ. ΑΓΩΝΑ. ΤΩΝ
ΜΕΓΑΛΩΝ. ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΩΝ. ΤΟΝ. ΠΡΩΤΩΣ. ΑΧΘΕΝΤΑ
ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ. ΟΛΤΜΠΙΑ. Β. ΠΤΘΙΑ. Β. ΝΕΜΕΙΑ. Β.
ΕΝ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ. ΙΣΘΜΙΑ. ΑΓΕΝΕΙΩΝ
ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ. ΚΑΙ. ΤΗΙ. ΕΞΗΣ. ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΙ. ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΛΗΝ. ΚΑΙ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ. ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ. ΠΡΩΤΟΣ. ΑΝΘΡΩΠΩΝ. ΚΟΙΝΟΝΙΑΣ
ΕΝ. ΠΕΡΓΑΜΩ. ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ . . . . . .

*T. Flavius Artemidori filius* ex Tribu *Quirina Artemidorus*
*Adanensis, & Antiochenus, qui vicit Agonem*
*Magnorum Capitolinorum, cum is primum ageretur.*
*Virorum Pancratio. Olympia bis. Pythia bis.*
*Neapoli Virorum Pancratio. Isthmia imberbium*
*Pancratio; proximaque pentaeteride Virorum*
*Lucta, & Pancratio, rursusque Virorum*
*Pancratio*, idque *hominum primus. Commune Asiae.*
*In Pergamo Virorum Pancratio* . . . . . .

Itaque id primum observari facile poterit, quod, si Artemidorus ille vicisse dicitur Agonem Capitolinum ubi is primum edebatur, ipsius victoria ad annum V. C. 839. sive ½ Olymp. CCXVI. hoc est 86. a Christo nato certissime referri debet, quo Domitianus Caesar, Suetonio teste, *instituit quinquennale Certamen Capitolino Iovi triplex, musicum, equestre, gymnicum* [3]; adeoque ceterae Artemidori Victoriae, quae in Marmore recensentur, circa eadem tempora contigerunt. Observari etiam pote-

(1) Classe V. Num. 22. (2) Miscell. Erud. Ant. Sect. X. Num. 110. (3) Vide Petav. Doctr. Temp. Libr. XI. c. 21. 22.

poterit quod Artemidorus ipse, quamvis inter Hieronicas a Doddvello minime memoretur, in Isthmiacis tamen Ludis non semel tantum, sed iterum, tertioque palmam obtinuit; ut primo quidem ex pueris, proximoque deinde *quadriennio* ex viris lucta, simulque pancratio, tum proxima Isthmiade pancratio solum coronam retulerit: quod argumento esse potest Isthmiacos Ludos iis etiam temporibus *pentaeteridis*, vel integri *quadriennii*, spatio bis peragi consuevisse, adeoque *trietericos* extitisse. Vbi vero in Marmore depravate legitur ΚΟΙΝΟΝΙΑΣ feliciciter quidem, accurateque Rheinesius rescribendum vidit ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ. At ubi doctissimus Scriptor ille contendit voces illas ita cum inferioribus coniungendas esse, ut *Commune Asiae* Festum Pergami celebratum dicatur, fortasse fallitur. Quamvis enim *Commune Asiae Festum* variis in Vrbibus subinde celebrari potuerit, atque in Sponiano Marmore legatur Κοινα Ασιας εν Φιλαδελφεια (1) *Communia Asiae in Philadelphia* Vrbe; in Oxoniensi tamen Marmore legitur Σμύρναν Κοινὸν Α'σίας, Πέργαμον Α'υγύστεια (2) *Smyrnae Commune Asiae*, *Pergami Augustalia*: quemadmodum in pulcherrimo Gruteri Marmore dicitur Ζμυρναν Ē Κοινα Ασιας δις (3) *Smyrnae Quinquennalia Communia Asiae bis*. Ita nimirum siglam illam Ē, cuius vim & latinus Gruteriani Marmoris Interpres, & magnus etiam Scaliger ignoravit, explicandam esse monuit Prideauxius (4). Itaque fortasse *Commune Asiae Festum* a Pergamenis *Augustalium* Ludis in Marmore distingui debet: ut quemadmodum nempe Artemidorus *Neapoli Virorum pancratio*, dissimulato Ludorum nomine, vicisse dicitur; ita quoque *Pergami Virorum pancratio*, suppresso Festorum genere, vicisse exprimatur: cum praesertim eadem illa *Augustalia* Festa, sive Certamina, quae Augusto Caesari consecrata fuerant, a Pergamenis quidem Α'υγύστεια, a Neapolitanis vero Σέβαστα vocarentur: ut in Gruteriano, atque Oxoniensi etiam Marmore Σέβαστα ἐν Νεαπόλει, & Νεαπόλιν Σέβαστα recensentur.

XIV. At neque *Sebasta* solum, sive *Augustalia*; sed *Italica* quoque, *Romana*, *Iselastica*, & *Olympia* vocari consuevisse Certamina, quae Neapoli committebantur, ex pulcherrimo, exi-

(1) Miscell. Erud. Antiq. Sect. X. num. 112. (2) Marm. III. Pag. 70. (3) Pag. 314. (4) Ad Marm. Oxon. Pag. 74.

eximioque Marmore deprehendi poterit, quod ibi nuperrime repertum fuit. Eius apographum Neapoli nuper acceptum mihi perhumaniter communicavit Clar. atque doctissimus Gorius, simulque spem fecit fore ut singulae Marmoris partes ab erudito Viro Neapolitano accuratis adnotationibus illustrentur. Itaque, ne ab operis huiusce mei argumento digrediar, atque ut intactam, integramque messem Cl. Viro relinquam, Marmor ipsum latine a me redditum ita subiiciam, ut ea solum brevissime differendo complectar, quae ad *Olympia* Festa in illo memorata, adeoque ad Spartam ipsam, quam Dissertationibus istis exornandam susceperam, aliqua ratione spectare posse videbantur.

*In principe, sive antica Marmoris facie*

Τ̄ ΦΛΑΒΙΩΙ. Τ. ΤΙΩΙ
ΕΤΑΝΘΗΙ ΝΙΚΗΣΑΝΤΙ
ΙΤΑΛΙΚΑ ΡΩΜΑΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ
ΙΣ ΟΛΤΜΠΙΑ ΤΗΣ. Μ̄. Γ̄.
ΙΤΑΛΙΔΟΣ. ΠΑΙΔΩΝ
ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ. ΔΙΑΤΛΟΝ
ΑΝΑΘΕΝΤΙ. ΕΝΤΗΙ ΦΡΗΤΡΙΑΙ
ΑΝΔΡΙΑΝΤΑΣ. ΔΙΟΣΚΟΤΡΟΝ
ΣΤΝ. Τ. ΦΛΑΒΙΩΙ. ΖΩΣΙΜΩΙ.
ΑΔΕΛΦΩΙ ΤΩ ΑΤΤΩ ΑΓΩΝΙ
ΤΑΓΜΑ ΝΙΚΗΣΑΝΤΙ ΚΑΙ
ΒΡΑΒΙΟΝ. ΛΑΒΟΝΤΙ
ΕΤΜΗΛΕΙΔΑΙ. ΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣ. ΕΝΕΚΕΝ

*T. Flavio T. filio*
*Evanthi, qui vicit*
*Italica, Romana, Augustalia,*
*Is*elastica *Olympia XLIII.*
*Italicae* Olympiadis *duplicato Puerorum*
*urbanorum curriculo,*
*& dedicavit in Fratria*
*Statuas Dioscurorum*
*una cum T. Flavio Zosimo*

*fra-*

*fratre* suo: atque *in eodem Agone*
*aciem superavit*, & 
*bravium obtinuit*.
*Eumelidae* ipsius *Fratores*
*remunerationis caussa*.

*In altera Marmoris facie*

ΣΕΟΥ. ΗΡΩΙ. ΚΑΙ ΕΡΕΝΝΙΑΝ. ΥΠΑΤ
ΠΡ. Ε. ΕΙΔΩΝ ΜΑΡΤΙΩ
Τ. ΦΛΑΒΙΟΣ ΖΩΣΙΜΟΣ. ΚΑΙ
ΦΛΑΒΙΑ ΦΟΡΤΟΥΝΑΤΑ ΓΟΝΕΙΣ
ΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΙ. ΛΥΚΝΙΑΣΜΕΤΑ
ΛΥΧΝΩΝ. ΚΑΙ ΒΩΜΟΥΣ ΔΙΟΣΚΟΥΡ
ΑΥΘΙΣ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝ.

*Severo*, & *Herenniano Consulibus*,
*ante diem V. Idus Martias*.
*T. Flavius Zosimus*, &
*Flavia Fortunata parentes*
filiis *obsequentes candelabra cum*
*lucernis*, & *aras Dioscurorum*
*iterum consecrarunt*.

*In tertia Marmoris facie laurea corona reperitur*,
*in cuius medio legitur*

ΣΕΒΑΣΤΑ AVGVSTALIA

Marmoris aetas, ut hinc exordiar, simulque tempus, quo T. Flavius ille palmam retulerit, facile ex adscriptis Consulum nominibus inferri potest. Itaque, cum *L. Septimius Severus*, & *L. Alfidius Herennianus* anno V. C. 924. sive Chr. 171. Fastos signaverint (1), Marmor quidem ipsum eo anno excitatum, sive dicatum esse conspicitur; victoria vero Augustalibus, vel Olympiis Ludis a Flavio parta ad proxime superiorem annum 170. sive, si libeat, ad 166. referri debet, ut mox osten-
de-

(1) Vide Noris Epist. Consul. pag. 108

detur. Quandoquidem vero in Marmore & *Eumelidarum Fratria*, & gymnicus *Agon* ille memoratur, qui Neapoli peragebatur, plurima certe tum Fratriis ipsis, tum Certaminibus illustrandis ex Van-Dalio (1), ceterisque Scriptoribus (2) afferri possent, ut ipsarum varietas, munera, ac institutio ostenderetur. Sed illustrem unum Strabonis locum subiecisse nunc iuverit, quo pentaetericus Neapolitanorum Agon, simulque Fratriae describuntur. Itaque Strabo de Neapolitanorum institutis, origine, moribusque differens ait πλεῖστα δὲ ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, Γυμνάσιά τε, καὶ Ἐφηβικὰ, Φρατρίαι, καὶ ὀνόματα Ἑλληνικὰ, καίπερ ὄντων Ῥωμαίων. Νυνὶ δὲ πενταετηρικὸς ἱερὸς Ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς μουσικός τε, καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα (3) *plurima Graecorum institutorum supersunt vestigia, ut virorum Gymnasia, & Ephеborum; Fratriae, & Graeca nomina etiam illis, quae Romanorum sunt, imposita. Hoc tempore sacrum quinquennale Certamen musicum, & gymnicum per aliquot dies agitur Ludis Graecorum nobilissimis aemulum.* Perspicuo Strabonis testimonio plurima etiam Marmora adiungi possent, in quibus *Onionaeorum*, *Artemisiorum*, *Panclidarum*, *Cynaeorum*, *Eumelidarum* Fratriae, ipsarumque principes, ac ministri memorantur. Sic, ut exemplum unum hic proferam, apud Rheinesium Clas. I. num. 156. hoc Marmor Neapoli positum reperitur

ΕΥΜΗΛΟΝ ΘΕΟΝ ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ
Τ. ΦΛΑΤΙΟΣ ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ Τ. ΦΛΑΤΙΩΙ ΤΕΚΝΩΙ

*Eumelum Deum patrium*
*Phratoribus Eumelidarum*
*T. Flavius Pius*
*Curator dedicavit*
una *cum T. Flavio filio* suo

Hic eadem illa *Eumenidarum Fratria*, quae in nostro Marmore

O

(1) De Marmor. Differ. IX. (2) Rhein. Clas. I. Num. 156. & Epist. 35. (3) Lib. V. Pag. 246.

re nominatur, occurrit; ſimulque *Flavia* gens utrobique laudatur, ac T. etiam Flavius: ut proinde utrumque Marmor ad eadem fere tempora ſpectare poſſe videatur. Pentaeterici quoque Certaminis mentio una cum Onionaeorum nomine, Van-Dalio quidem iudice, in alio Marmore habetur, ubi *Onionaeorum Fratria* honorat L. Herennium Demarchi munere functum, & Ἄρχοντα τὸν πενταετηρικὸν (1) *Archontem Quinquennalem*; ubi Van-Dalius τῶ πενταετηρικῶ *quinquennalis* legendum exiſtimat; ut nempe exprimatur Herennium illum Agoni, ſive Certamini *quinquennali* praefuiſſe. Quem vero pentaetericum Agonem illum fuiſſe putabimus, cui L. Herennius praefuerit; ſive potius, ne a Marmore nunc illuſtrando digrediar, Agonem illum, quo T. Flavius Evanthes *diaulo* coronam obtinuit? Certe, ſi Marmor illud cum Athleticis aliis conferatur, voceſque ſingulae in ipſo expreſſae obſerventur, facile ſuſpicari, vel exiſtimare quis poterit plures in illo Ludos, atque Certamina, *Italica* nimirum, *Romana*, *Auguſtalia*, *Olympia*, fortaſſe & *Iſelaſtica* recenſeri, ut T. Flavius in ipſorum ſingulis *diaulo* palmam retulerit. Quamvis tamen haec optimo, maximoque iure defendi poſſint; longe veriſimilius exiſtimo unum eundemque prorſus Agonem, unicamque victoriam in eximio hoc Marmore memorari, qui variis tamen, diſtinctiſque nominibus exprimatur; ut, cum certamina, quae Neapoli peragebantur, in Marmoribus aliis *Auguſtalia* ſolum dicantur, hic *Italica* quoque, *Romana*, & *Olympia* nuncupentur. Atque illud in primis obſervari facile poterit quod Agones iſti, ſive plures fortaſſe, diſtinctique illi fuerint, ſive potius ad Agonem unicum referantur, non pluribus, diverſiſque in locis, ſed Neapoli ſolum, celebrati videntur; cum nulla locorum varietas, atque diſtinctio in hoc Marmore, ſicut in aliis, obſervetur; ac Evanthes ille *inter urbanos Pueros* certaſſe, coronamque retuliſſe dicatur: quod argumento eſſe poterit ipſum in patria ſolum Vrbe viciſſe. Itaque, cum *Auguſtalia* quidem Neapoli celebrata ſaepius in Scriptoribus, ac veteribus etiam Monimentis aliis occurrant; *Italica* vero, *Romana*, & *Olympia* nullibi ſane, quod noverim, memorentur, veroſimilius eſt certe haec Italica, Romana, & Olympia cum Auguſtalibus ipſis ita coniungenda fore, ut unus idem-

(1) Claſſ. I. Num. 203.

idemque Augustalium Agon variis illis, distinctisque nominibus decoretur. Accedit etiam quod Scriptor diligens, & accuratissimus Strabo, ubi de Neapolitanorum origine, gloria, moribusque differit, ut ostenderet apud illos plurima Graecorum instituta conservari, asserit ab illis *pentaetericum Agonem* Graecorum Ludis aemulum celebrari; nihilque tamen de ceteris Agonibus, Olympiis praesertim, adiecit; de iis profecto facile loquuturus, si, Augustalium, ac Elidensium Olympiorum instar, haec pentaeterica, atque ab Augustalibus ipsis distincta fuissent. Ita quoque, si in Marmore superius exposito I... Herennius ex optima Van-Dalii coniectura *pentaeterico* Neapolitanorum *Agoni*, dissimulato Ludorum nomine, praefuisse dicitur, perspicue apparet *pentaetericum* Agonem unicum Neapoli celebrari consuevisse; ideoque *Olympia*, quae *numerata*, ac *pentaeterica* quoque fuisse videntur, ab Augustalibus, quae Suetonio, & Strabone teste *pentaeterica* profecto fuerant, distingui non posse. Certius id etiam, longeque illustrius ex integra Marmoris serie deducitur. Etenim, memorata T. Flavii Evanthis victoria in *Italicis, Romanis, Augustalibus*, ac *Olympiis diaulo* parta, repente dicitur quod T. Flavius Zosimus eiusdem frater τῷ αὐτῷ Ἀγῶνι *in eodem* ipso *Agone* aciem superavit, & bravium obtinuit. Ergo Agon ille, quo T. Flavius Evanthes palmam retulit, quamvis variis nominibus decoretur, non multiplex tamen, sed *unicus* habendus erit: alioquin, si Agones illi plures, distinctique fuissent, T. Flavius Zosimus non *in eodem Agone*; sed in iisdem Agonibus victor diceretur; aut certe ex pluribus iam memoratis peculiaris Agon ille exprimeretur, ex quo Zosimus victor excesserat. Denique, ne levioribus argumentis aliis hic immorer, id ex Corona, quae Marmori insculpta conspicitur, perspicue, certoque deduci posse putaverim. Victoribus enim illis, qui pluribus, distinctisque Ludis palmam obtinuerant, plures etiam, distinctaeque Coronae in Athleticis ipsorum Marmoribus, sive victoriae monimentis, exprimi, vel insculpi consueverant, ut facile pluribus exemplis ostendi posset (1). Itaque, cum in eximio hoc Marmore unica prorsus Corona reperiatur, dubitari certe vix poterit quin unica quoque victoria, adeoque unicum prorsus Certamen exprimatur; alioquin, si

 Evan-

(1) Vide Gruter. Pag. 316. & 317.

Evanthes ille in pluribus, diſtinctiſque Agonibus plures, diſtinctaſque palmas retuliſſet, fieri certe, vel explicari vix poterit cur ipſius Fratores, aut Parentes Coronas etiam alias in vacua alioquin futura Marmoris parte exprimendas non curaverint. Quandoquidem vero Coronae, quae hic expreſſa conſpicitur, Agonis nomen, prorſus ut in Marmoribus aliis, inſcriptum reperitur ΣΕΒΑΣΤΑ AVGVSTALIA, unicus Agon ille, qui in Marmore memoratur, non alius eſſe, vel cenſeri poterit, quam *Augustalium* Certamen. Quis vero coniicere, vel explicare nunc poſſit, cur celeberrimus ille Neapolitanorum Agon non ſolo *Augustalium* nomine, quod in Scriptoribus, ac Marmoribus aliis occurrit, ſed pluribus etiam nominibus aliis hic exprimatur? Si in re ſubobſcura, pluribuſque difficultatibus impedita coniecturae locus hic eſſe poteſt, ſuſpicor *Auguſtalia* non alia de cauſſa in inſigni hoc Marmore ſplendido quoque *Olympiorum* nomine decorari, quam quod illa, Olympiorum Elidenſium inſtar, *pentaeterica* forent; Olympiadum inſtar, numerari ſolerent; atque omnia certaminum genera complecterentur, quae in Elidenſibus, veriſque Olympiis exhiberi conſueverant. Ita propemodum Actiaci quoque Ludi non *Actiades* ſolum vocari, atque Olympiadum inſtar numerari ſolebant, ut perſpicuo Ioſephi, aliorumque teſtimonio erudimur; verum etiam Olympiadis, aut *Olympici* Agonis nomine decorari, ut optime proinde dixerit Strabo ὁ Ἀγὼν ὀλύμπιος τὰ Ἄκτια [1] *Olympicum Certamen Actia*: quemadmodum victores illi, qui in *Actiis*, & *Auguſtalibus*, ſive *Sebaſtis* palmam retulerant, Olympionicarum inſtar, *Actionicae*, *Sebaſtonicae* vocabantur; ut in Marmore conſpicitur, quod in Grutero [2] quidem mirifice depravatum, in Gudio [3] vero accurate expreſſum reperitur. *Italica* vero vocata fuiſſe putaverim haec Neapolitanorum Auguſtalia, ut ab Auguſtalibus illis diſtinguerentur, quae Pergami, Caeſareae [4], alibique celebrari conſueverant; nam Suetonius de Auguſto diſſerens ait *Provinciarum pleraeque ſuper Templa, & aras Ludos quoque quinquennales pene oppidatim conſtituerunt.* [5] *Iſelaſtica* vero quod ipſorum victor diruta moenium parte, triumphantis inſtar, Vrbem ingrederetur: unde Certamina quoque Puteolis ab An-

(1) Lib. VII. Pag. 325. (2) Pag. 1055. num. 11. (3) Pag. 217. num. 1. (4) Ioſeph. de Bello Iud. Lib. I. c. 8 & Antiq. XV. c. 11. (5) Cap. 59.

Antonino instituta [1], Sardibus [2] etiam, atque in Bythinia [3] celebrata, *Iselastica* sunt appellata. *Romana* denique quod eadem illa Certamina Augusto sacra Romae quoque instituta fuerint [4] anno V. C. 744. ibique quarto Idus Octobres celebrari consueverint; ideoque, cum Neapolitanorum Augustalium victores, ac Ludus ipse eodem fortasse iure, & honore, quo Romanorum Augustalium victores, atque Certamen, frueretur, non *Italica* solum, sed *Romana* quoque appellari potuerint. Quod si non obscuris fortasse characteribus, & argumentis istis ostenderim *Olympiades* illas, quae in Marmore memorantur, ab Augustalibus minime distinguendas esse, iam facile & Olympiadum, & Augustalium Neapolitanorum origo hactenus incomperta constitui, vel definiri poterit. Narrat Suetonius Augustum affecta iam valetudine Capreis Neapolim traiecisse, ibique *quinquennale Certamen gymnicum honori suo institutum perspectasse; sed in redeundo, aggravata valetudine, tandem Nolae succubuisse.* [5] Cl. atque immortalis Scaliger, cum Augusti ipsius mortem in diem 14. calend. Septembr. anno V. C. 767. sive 2. Olymp. CIIC. incidisse intelligeret, Neapolitanum Lustrum, hoc est Augustalia Sextili mense celebrata observavit; sed ingenue fatetur *quotum fuit illud Lustrum a primi editione, nondum scire potui.* [6] Marmoris tamen huius praesidio primam Augustalium originem ad annum V. C. 751. sive potius 755. referendam esse putaverim. Etenim, si Augustalia praesente Caesare Augusto celebrata in annum V. C. 767. sive Chr. 14. inciderunt, dubitari certe non poterit quin pentaetericus Agon ille anno V. C. 919. sive Chr. 166. iterumque anno V. C. 923. sive Chr. 170 redire, vel instaurari debuerit. Ergo, cum Marmor anno V. C. 924. sive Chr. 171. proxime post victoriam ab Evanthe adhuc puero partam positum fuerit, victoria illa ad annum V. C. 919. sive potius 923. referri debet; ideoque, si *quadragesimatertia* Olympias Italica, hoc est Augustalium Agon, anno V. C. 923. celebratus fuit, prima Augustalium, sive Olympiadum harum institutio, primumque Lustrum non alteri verisimilius, quam 755. V. C. anno, sive Chr. 2. adscribi poterit. Sed haec, aliaque id genus plurima, quae de Fe-

stis

(1) Scalig. de Emend. Lib. V. pag. 447. (2) Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. X. Num. 100 (3) Plin. Epist. Lib. X. (4) Dio. Lib. LI. (5) Cap. 98. (6) De Emend. Lib. V. pag. 448.

ſtis, aut Certaminibus in variis Italiae, Graeciae, vel Aſiae Vrbibus celebratis afferri facile poſſe~nt~, alterius certe loci, vel operis eſſe debent; cum Olympicos ſolum, Pythicos, Nemeacos, atque Iſthmiacos Ludos meliori, quo poterat, ordine illuſtrandos ſuſceperim, qui ceteros Ludos omnes antiquitate, gloria, celebritate longiſſime ſuperarunt: cumque a Scriptoribus, veluti perſpicui, certique temporum characteres, uſurpari conſueverint, maximo in Hiſtoria ſplendori, riteque diſponenda temporum ſerie praeſidio eſſe poterunt. Hinc plurima quoque, quae de quatuor ipſis Graeciae Ludis ex Fabro, ceteriſque Scriptoribus excerpi facile poterant, omittenda putavi, ut ea ſolum complecterer, quae ad Chronologiam ſpectarent; rerumque tempus oſtenderem, quo ipſorum quilibet redire, vel inſtaurari ſoleret: quod clariſſimis etiam Viris hactenus obſcurum, vel incompertum eſſe iam videram. Quod ſi feliciter mihi, atque ex animi ſententia fortaſſe res ceſſerit, idque eruditis, doctiſque Viris probari unquam poſſit, uberem certe mihi laboris huius, induſtriae, ſtudiique fructum gratulabor. Etenim, ut a Pindari verbis exorſus cum Pindari quoque verbis hic deſinam,


Εὖ δὲ παθεῖν, τὸ πρῶτον ἄθλων.
Εὖ δ' ἀκούειν, δευτέρα μοῖ-
ρ. Α'μφοτέροισι δ' ανὴρ
O'ς ἂν ἐγκύρσῃ, καὶ ἕλῃ,
Στέφανον ὕψιστον δέδεκται (1)

*Bona fortuna uti, primum praemiorum.*
*Bene vero audire, ſecunda eſt felici-*
*tas.* In *utraque autem vir*
*Quicumque inciderit, & ea acceperit,*
Is *coronam ſummam accepit.*

(1) Pyth. I. ver. 191.



HIE-




*Ex Num. ant. et Gemma ant.*

# HIERONICARVM
## CATALOGVS.



QVamvis plurima, ac infinita fere ſint illa, ex quibus maximus Olympiorum, aliorumque Graeciae Ludorum ſplendor, atque praeſtantia facile intelligi, oſtendique poſſit, ut in ipſo *Diſſertationum Agoniſticarum* limine eſt obſervatum; nihil eſt tamen, quo clarius illa, ſive vividius effulgeat, quam incredibilis honor, & gloria, quae *Hieronicis* omnibus, hoc eſt ſacrorum Certaminum Victoribus, veteri, conſtantique lege concedi conſueverat. Etenim ipſa quidem Ludorum celebritas in peculiaribus ſolum, nec iis certe illuſtrioribus, Peloponneſi Vrbibus, Elide nimirum, Delphis, Argis, & Corinthi, exiguo ſolum temporis ſpatio peragebatur: at Victorum gloria, ſimulque Certaminum fama ad exteras etiam, diſſitaſque Gentes uberrime diffundebatur; ut illa perenni quodam, conſtantique ſplendore perennibus etiam monimentis expreſſa, atque aeternitati conſecrata propemodum videretur. Vt enim omittam Hieronicas ipſos victoria, coronaque parta non legitimo ſolum, ſolemnique *Cerycum* praeconio, ſed etiam effuſis univerſae Graeciae, quae ſpectatum confluxerat, vocibus plauſibuſque ad caelum efferri, digito monſtrari, iniectis ſparſiſque floribus, accenſis facibus, thure, cae-

caesis etiam interdum hostiis, illustriorum denique Poetarum carminibus honorari consuevisse; illi in Patriam reduces diruta moenium parte recipiebantur: [1] perinde quasi Vrbs illa, quae Hieronicam alere, atque obtinere meruisset, moenium praesidio, sive custodia non indigeret. Publicus etiam Hieronicae victus in Prytaneo, annonaria commoda, immunitas a civilibus, publicisque muneribus, ac praestatione; icones etiam aere publico consecratae, aliaque plurima honorum genera concedebantur, quae maxima, atque incredibili profanae, sacraeque eruditionis copia doctissimus Faber Libro II. c. 10. ceterisque duodecim pone sequentibus uberrime exposuit. Eiusmodi vero Hieronicarum decus, & gloria apud universos Graeciae, ac Orientis Populos constans adeo, ac pervagata fuit, ut ipsi quoque Lacedaemonii ceteris sane Graeciae Populis severiores, neque alterius, quam bellicae, virtutis studio incensi, quamvis alias honoris significationes, veluti leviores, Spartanoque Viro prorsus indignas, contempserint; id tamen gloriae Hieronicis ipsis tribuerint ut in acie Regum lateri veluti comites, ac defensores adesse possent. [2] Itaque mirari plane non possumus, si Victores ipsi ἰσόθεοι *Diis similes* Luciano teste [3] vocarentur; Horatius illos *caelestes* appellaverit [4]; aperteque etiam dixerit quod Hieronicas victoria *palmaque nobilis*

*Terrarum Dominos evehit ad Deos*; [5]

atque, ut innumeris testimoniis aliis abstineam, Cicero Olympicam victoriam a plurimis Romano Consulatu nobiliorem censeri dixerit [6]; ac *prope maius, & gloriosius haberi apud Graecos Olympionicem fuisse, quam Romae triumphasse*. [7]

Sed haec, aliaque id genus Hieronicarum decora, atque ornamenta nihil moror: quippequae & a doctissimo Fabro luculentissime sint explicata, & ab operis huius instituto, sive ratione fortasse abhorreant. Illud unum hic addere, vel observari nunc libet quod Hieronicarum nomina publicis Monimentis inscribi, atque immortalitati, si fieri id quidem poterat, consecrari consueverant; ut in iis Agonothetae, qui Ludis praefuerant, ac Athletae singuli, qui variis Certaminum generibus palmam retulerant, accuratissime recenserentur. [8] Eiusmodi vero Re-

(1) Plutar. Symp. II. quae. 5. (2) Plutar. ibi. (3) In Anacharsi. (4) Lib. IV. Ode 2. (5) Lib. I. Ode 1. (6) Tuscul. II. c. 17. & I. c. 46. (7) Orat. pro Flacco. (8) Plutar. in Agesilao.

Recensionum, sive Monimentorum mentio apud veteres Scriptores omnes, & Pausaniam in primis frequentissima nobis occurrit; qui subinde de Olympionicis praesertim differens ad Commentarios illos provocavit, ut de vero Victorum nomine, sive patria, sive aetate decerneret. (1) Commentarios autem illos, sive Victorum nomina, ab Elidensibus in Olympico Gymnasio servari consuevisse, idque fortasse Paraballontis Olympionicae instituto, Pausanias ipse testatur (2): quemadmodum is alibi dicit quod Evanorides Eleus, qui puerili lucta iampridem vicerat, moxque Hellanodicae munus obtinuit, ἔγραψε καὶ οὗτος τὰ ὀνόματα ἐν Ὀλυμπίᾳ τῶν νενικηκότων *& ipse eorum, qui in Olympia vicerant, nomina conscripsit*. (3) Itaque, cum Victorum omnium series, atque memoria publicis monimentis illis accuratissime inscripta foret, mirari certe non subeat si plurimi ex veteribus Graeciae Scriptoribus memorentur, qui ex perspicuis, certisque monimentis illis integram Hieronicarum omnium seriem, vel Recensionem illustrandae Temporum doctrinae, sive Pindari, aliorumque Scriptorum testimoniis explicandis adornarint. Ac *Olympionicarum* quidem *Elenchum* edidisse fertur Hippias Eleus Platoni coaevus, qui a Plutarcho memoratur. (4) Aristarchus etiam, qui Pausaniam erudivit, ὁ τῶν Ὀλυμπιάδων Ἐξηγητὴς (5) *Olympiadum Enarrator* ab illo vocatur; ideoque facile & ipsarum, & Victorum seriem concinnasse videtur. Ita Eratosthenes *in Olympionicis* ab Athenaeo (6), & Laertio (7) laudatur. Agriopas etiam, sive, ut in Codicibus aliis vocatur, Copas *Olympionicas scripsisse* dicitur a Plinio (8). Olympionicarum series a Stesiclide contexta citatur a Laertio (9): quemadmodum *de Olympiorum origine, ac Olympionicis* Aristodemus, Callimachus, ac Polybius quidam a Syncello (10) laudatur; atque integrum Phlegontis Tralliani Opus, quod *Olympionicarum, & Chronicorum Sylloge* inscribebatur, ipsis Photii temporibus circumferebatur (11); quamvis nunc prorsus exciderit, solumque fragmentum *de Olympiis* a Meursio illustratum supersit. Quid vero quod Aristoteles ipse, qui ingenii gloria, ceterisque scriptis editis immortalem sibi nominis laudem pepererat, *Olympionicarum* quoque, & *Pythionicarum* Seriem contexuit; quarum illa quidem a Plutar-



(1) Eliac. I. c. 21 & II. c. 13 & L. con. c. 21. (2) Eliac. II c. 6. (3) Ibid. c. 8. (4) In Numa init & Schol Theocr. ad Idyl. 4. (5) Eliac. I. c. 20. (6) Libr IV. c. 13 (7) Lib. VIII. seg. 51. (8) Lib. VIII c. 22. (9) Lib. I. seg. 55. (10) Pag. 196. (11) Codic. 97.

cho (1), & Laertio (2); haec autem a Pindari Scholiaste (3), Plutarcho ipso (4), Laertio (5), & Hesychio (6) memoratur. Atque utinam quidem aureolus hic sapientissimi Viri Liber ad haec usque tempora pervenisset! Sed Arabes illi, ac interpretes, qui Metaphysica, aliaque id genus Aristotelis Opera, quibus & facile, & libenter etiam carere possemus, conservarunt, egregia ista Eruditionis, ac Historiae praesidia nobis inviderunt. Quemadmodum vero Aristoteles, ceterique superius memorati solam Hieronicarum, aut Olympionicarum Seriem peculiari quodam Opere sunt prosequuti, ita quoque Scriptores alii, qui Graecarum rerum Historiam accuratiori, meliorique methodo tradiderunt, ceteris temporum characteribus, quos exprimere, vel usurpare subinde solent, ipsa quoque Olympionicarum nomina adiecere; ut rerum gestarum tempus subtilius adhuc, & certius ostenderetur. Ita Philochorus (7) Atheniensis in Libris illis, quos *Atthidis* inscripsit, Olympionicas omnes memoravit. Dexippus autem Atheniensis Historiam, ac Olympionicarum Seriem deduxit usque ad Olymp. CCXLII. qua Dionysius Alexandrinus stadio vicit (8). Timaeus etiam Siculus Historiarum Scriptor iisdem Victorum nominibus Olympiadas, ac tempora designavit. Agaclytus quidam ἐν τῇ π' Ο'λυμπιάδι *in octogesima Olympiade* citatur a Suida (9), perinde quasi ipse quoque Olympiades, ipsarumque Victores expresserit. Denique, ne obscurioribus, aut deperditis Scriptoribus istis hic immorer, tres illi Historicorum principes Thucydides, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus ubique fere in designandis rerum gestarum temporibus Olympionicarum nominibus uti solent, ut iis, veluti perspicuo certoque discrimine, & charactere, Olympias aliqua distinguatur. Atque ita quidem Victorum nomen plerumque ab Historicis illis expressum conspicitur, ut Olympiadis numerus, Victoris nomen, ac patria, certaminis etiam genus exponatur; interdum vero vel patria, vel certamen ipsum reticeatur: quod tamen ab Historicis illis aliud intelligi, vel memorari non solet, quam *stadium*. Quinetiam alicubi solum Victoris nomen, dissimulato Olympiadis numero, memoratur: perinde quasi, ut expresso Consu-

(1) In Lycurgo. (2) Libr. V. seg. 26. & VIII. seg. 51. (3) Ad Isthm. II. (4) In Solone. (5) Loc. cit. (6) In Βιβλ. (7) Laert. II. seg. 56. (8) Excerpta Euseb. apud Scalig. Pag. 266. Vide Phot. Cod. 82. (9) In Κυψελιδῶν.

ſulum nomine quilibet V. C. annus accurate cognoſcitur, ita quoque ſolo Victoris nomine Olympias illa, qua is palmam retulerat, facile ac repente diſtingui poſſit. Ita Thucydides de Olympiade LXXXVIII. loquens ait ἦν δὲ Ὀλυμπίας, ᾗ Δωριεὺς Ῥόδιος τὸ δεύτερον ἐνίκα (1) *erat autem Olympias illa, qua Dorieus Rhodius ſecundo vicit*: idque facile pluribus etiam exemplis aliis oſtendi poſſet.

Quemadmodum vero Olympionicarum memoria in publicis Eleorum archiis religioſe conſervata ad ceteros Graeciae Scriptores, & Hiſtoricos omnes profluxit; ita profecto dubitari non poterit quin a Delphis etiam *Pythionicarum*, ab Argivis *Nemeonicarum*, a Corinthiis denique *Iſthmionicarum* nomina, ac monimenta cuſtodirentur. Ac Pythionicarum quidem Seriem ab Ariſtotele contextam fuiſſe iam vidimus; Iſthmionicarum vero Catalogus, quo non Victores ſolum, ſed etiam victi diſtincte recenſerentur, a Plutarcho memoratur (2); quamvis Pauſanias, ubi Tiſandrum Naxium Olympica, Pythicaque corona celebratum fuiſſe dixiſſet, ſubdit καὶ Κορινθίοις δὲ οὐκ ἦν πω τηνικαῦτα, οὐδὲ Ἀργείοις ἐς ἅπαντας Ὑπομνήματα τοὺς Νεμεάτας (3) *nondum vero tunc neque a Corinthiis, neque ab Argivis omnes* Iſthmionicae, & *Nemeonicae in Commentariis referebantur*: ut nimirum innueret Tiſandrum ipſum facile Argolica quoque, & Corinthiaca palma decoratum fuiſſe, quamvis id nullo veteri monimento probari poſſet: quod Tiſandri ſcilicet aetate Victores ipſi minori ſtudio Commentariis inſcriberentur. Quod ſi diligens, & accuratus ille Graecarum rerum Enarrator Pauſanias merito querebatur plurima Iſthmionicarum, & Nemeonicarum nomina ſuis temporibus intercidiſſe, maiori certe nunc iure conqueri, vel indignari nos poſſumus, quibus pleraque Hieronicarum nomina, atque ipſam quoque Olympionicarum Seriem, quae Pauſaniae temporibus circumferebatur, temporis iniuria, ſequiorumque Scriptorum barbaries, & ſocordia prorſus eripuit: perinde quaſi una cum celeberrimis Graeciae Ludis ipſa quoque Victorum memoria aboleri debuerit. Certe ex plurimis Scriptoribus antea memoratis, qui integram plenamque Hieronicarum Seriem ediderant, nullus omnino ad haec uſque tempora pervenit; ut paucorum proinde nomina teme-



(1) Lib. III. c. 8. (2) In Ageſilao. (3) Eliac. II. c. 13.

re disiecta in Diodoro, Dionysio, Pindaro, praesertim vero in Pausania subinde nobis occurrant: ex quibus integra, & accurata ipsorum Series concinnari non possit; cum plerique ad certam Olympiadem referri nequeant, ideoque incertae solum aetatis haberi, vocarique debent.

Immanem hanc tamen Scriptorum, & Hieronicarum iacturam aliqua ex parte sarcivit Iulius Africanus, qui Olympionicarum Catalogum ab Olympiade *prima*, qua Coroebus victor excesserat, ad sua usque tempora, hoc est Olymp. CCIL. ita deduxit, ut in illo Athletas omnes, qui *stadio* palmam retulerant, memoraverit; atque, ubi novum aliquod certaminis genus additum, vel Olympiade quadam institutum esse notavit, Athletam illum, qui eodem certamine primum vicerit, exprimat; denique Victores illos, qui, Herculis instar, *lucta* simulque *pancratio* palmam obtinuerint, suis in locis accurate recenseat. Quandoquidem vero Graecam hanc Olympionicarum Anagraphen, sive Recensionem, Chronico suo inseruit Eusebius, ipsamque in pulcherrima Eusebiani Chronici editione Scaliger adiecit, illa sub *Eusebii* nomine a Meursio, aliisque pluribus laudari solet; quamvis Africano potius, quam Eusebio, tribuenda sit; ideoque illam non Eusebii, sed Africani nomine in Catalogo mox proferendo decorandam esse putaverim. Praeter eximiam hanc Africani Recensionem altera quoque itidem Graeca Olympionicarum Series alphabetico ordine concinnata in eadem illa Scaligeri editione Eusebiano Chronico subiecta conspicitur: quemadmodum plurima Olympionicarum, & Pythionicarum nomina suis in locis in Graeca Historiarum, ac Olympiadum descriptione recensentur, quae a Scaligero Graecis Eusebii, aliorumque Collectaneis adiuncta fuit (1). Ac Rheinesius (2) quidem alphabeticam illam Olympionicarum Seriem a Scaligero editam non aliam esse putavit, quam quae a Phlegonte contexta iam fuerat. Graeca vero Olympiadum, ac Historiarum Sylloge a Cl. Viris Gerardo Ioanne Vossio (3), Meursioque (4), veluti antiqui cuiusdam Anonymi Scriptoris Opus, citari, laudarique solet; cum tamen Scaliger ipse variis in locis nitide diserteque testetur

(1) Pag. 316. & 317. (2) Epist. ad Hofman. Pag. 585. (3) De Histor. Graecis Lib. IV. c. 8. (4) De Arch. Athen. alibique saepe.

tur [1] sese Graeca illa Historiarum Collectanea, atque Olympiadum Recensionem digessisse; ut Petavius [2], ac Fabricius [3] observavit. Scaligero facem hanc praeferente doctissimi deinde Viri Series alias, sed longe tamen uberiores, nostris fere temporibus adornarunt. Quemadmodum enim Scaliger Olympionicas omnes, ac Pythionicarum plurimos, quorum aetas, aut Victoriae tempus exploratum fuerat, usque ad Olymp. CCIL. in qua Africanus desierat, accurate recensuit; ita quoque Gullelmus Loydius anno 1700. integram Olympionicarum, simulque Pythionicarum, Nemeonicarum, atque Isthmionicarum Seriem exhibuit, quorum aetas ex Pindaro, Pausania, aliisque Scriptoribus comperta fuerat; quamvis eiusmodi Scriptorum loca, vel testimonia non indicaverit. Proxime post editam Loydii Seriem, hoc est anno 1701. Loydii ipsius, aliorumque omnium industriam longissime superavit Dodvellus in aureo, atque immortali opere *De Cyclis*. Etenim ille non solum Olympiadum, ac Pythiadum Seriem perspicuo ordine contextam edidit, in qua Victores omnes ad sua quique tempora, vel Olympicos annos, referrentur; verum etiam tres alias Hieronicarum Series ita dispofuit, ut in prima Olympionicas, in altera Pythionicas, in ultima Nemeonicas simulque Isthmionicas, sive certae, sive incertae potius aetatis illi forent, alphabetico ordine accuratissime recenserentur; atque certaminis etiam, & victoriae genus, quo ipsorum quilibet palmam retulerat, exprimeretur.

Quandoquidem vero praestantissimum illud eruditissimi Viri Opus eximiae raritatis esse iam coepit; ideoque non Africani solum, Scaligeri, & Loydii, sed recentior etiam ille, longeque plenior Dodvelli Catalogus eruditorum hominum oculis obversari, manibusque teri vix potest; e re futurum putavi, si Dodvelli ipsius exemplo incitatus integram prorsus, novamque Hieronicarum omnium Seriem & ipse quoque contexerem, eamque *Agonisticis Dissertationibus*, veluti coronidem quandam, adnecterem; ut haec etiam, illarum instar, ingenuis Adolescentibus Eruditae Antiquitatis, Historiaeque cultoribus usui, praesidioque esse posset. Ita vero molestam hanc, iniu-

cun-

(1) Ad Chron. Euseb. anno 1630. 1650. & Pag 265. 266. (2) Doctr. Temp. Libr. XIII. ad an. P. I. 4029. (3) Bibl. Graec. Libr. IV. c. 15. num. 2.

cundam, atque, ut ingenue fatear, plurimis difficultatum ambagibus impeditam operis partem exegi, ut Series ista, nisi mea me fallit opinio, ceteris omnibus hactenus editis longe uberior, atque accuratior sit futura: quippequae plura complectatur, quae in ipsa quoque Dodvelli Serie ceteris accuratiore optari posse merito videbantur. Etenim singula Victorum omnium nomina suis ex fontibus, hoc est ex ipsis Scriptoribus, expressi; simulque singula Scriptorum loca, vel testimonia indicavi, quibus Victoris nomen, aut patria, aut certaminis genus, aut aetas memoratur: quamvis Dodvellus, si Pausaniam, Pindarum, aliosque paucos exceperis, Scriptorum nomina prorsus omiserit. Diligenter etiam singula Veterum testimonia in Graeco textu, nitidioribusque Scriptorum editionibus consului: ideoque facile errores aliquos, qui in Dodvelli Seriem irrepserant, deprehendere, ac emendare subinde potui. Sic, ut exempla quaedam hic afferam, Dodvellus ambigua, ut opinor, Pausaniani Interpretis phrasi deceptus inter Pythionicas Caprum Eleum, veluti Paeanii victorem, exhibet: cum tamen in Graeco Pausaniae textu non Caper ipse Paeanii, sed Paeanius Capri victor dicatur. Ita Chromium Aetnaeum Pythicis Delphorum Ludis *curru* vicisse dicit, eamque victoriam a Pindaro Neme. IX. memoratam asserit. At Certamen illud Apollini sacrum in Adrastea ditione celebratum, quod ibi a Pindaro memoratur, non Nemea, ut Didymus (1), aut Delphica Pythia, ut Dodvellus existimat, sed Pythia solum Sicyone celebrata intelligi, censerique debet: quod ad Asopi fluenta peragi, argenteasque phialas vino repletas in illo Victoribus concedi Pindarus ipse testatur (2). Ita Theognetum Olympiae victorem Synnoontis filium fuisse dicit, cum tamen Pausanias ab illo citatus Synnoontem non Theogneti, sed Polichi, qui Olympionicae statuam fecerat, patrem fuisse dicat. In definiendis etiam Pythiadum annis sententiam illam ubique constanter adhibui, quam Differt. II. pluribus, ut opinor, certisque argumentis demonstraveram; ideoque Pythiadas, ipsarumque Victores non ad *secundos*, ut Dodvellus, sed ad *tertios* Olympiadum annos revocavi. Nemeonicas autem peculiari potius, distinctaque Serie recensendos esse putavi; quamvis

(1) Ad Oly. X. ver. 52. (2) Neme. IX. v. 121. & X. ver. 80.

vis Dodvellus ipsos cum Isthmionicis confuderit, hoc est una eademque alphabetica serie simul utrosque coniunxerit. Plurimos etiam Victores, quamvis Anonymi forent, in qualibet Victorum Serie subtexui: non modo quod exinde quoque Historiae praesidium, ac splendor aliquis oriatur; verum etiam quod verum ipsorum nomen, atque aetas ex coniecturis, ac monimentis aliis aliquando exsculpi fortasse possit. Denique praeter Hieronicas illos, qui a Dodvello recensiti iam fuerant, *centum ac quinquaginta* fere Victores alios Graecis, Latinisque Scriptoribus memoratos, mihique omnium primo nunc observatos, suis in locis inserui; ipsorumque singulos asterisco notavi, ut facile ceteris a Dodvello recensitis in Doctissimi Viri Catalogo adiungi illi possint. Tantum tamen abest ut Hieronicas omnes mihi nunc exploratos, vel recensitos esse confidam; ut nitide potius intelligam, ingenueque profitear facile ipsorum plurimos non mihi solum, sed acutioribus etiam aliis, obscuros, & incompertos esse oportere. Est enim hic, ut Ausonii verbis utar, campus, *in quo alius alio plura invenire potest, nemo omnia* (1). Itaque, si cui fortasse Hieronica, seu Victor aliquis repente affulgeat, is ceteris hactenus a me recensitis ipsius nomen inserere facile poterit: quemadmodum ipse quoque Victores omnes, qui in Scriptoribus, ac Monimentis aliis subinde occurrent, opportune complectar; ut haec ipsa Hieronicarum Series secundis aliquando curis uberior, atque emendatior prodire possit. Ita quoque praeter hanc Seriem, in qua Hieronicarum nomina, sive certae, sive incertae potius aetatis illi fuerint, alphabetico solum ordine recensentur, brevior, & concinnior alius, saltem Olympionicarum, Catalogus contexi facile poterit, in quo Victorum plurimi iuxta temporum seriem exhibeantur; hoc est in expansa quadam, perenni, continuaque Olympiadum Recensione in ipsarum qualibet Victores illi memorentur, qui aliquo certaminis genere palmam retulerunt: quemadmodum prorsus a Loydio, ac Dodvello factum conspicimus. Atque eiusmodi quidem Olympionicarum, sive potius Olympiadum Series facile disponi, contexique potest, si Victorum nomina literarum ordine a me recensita ad annos illos Olympicos referantur, quos in alphabetico Hieronicarum

(1) Num. 335. in Grypo.

rum Catalogo expressi: quod etiam in pluribus Pythionicis illis praestari poterit, quorum aetas, sive victoriae tempus exploratum perspectumque sit. Alteram hanc tamen Victorum Recensionem, licet clariorem, facilioremque, nunc omittendam esse putavi, non modo quod illam diligens Eruditionis, ac Historiae cultor ex Serie mox proferenda adornare facile possit; verum etiam quod in *Fastis Atticis* haec opportune complectar, atque in singulis Olympiadum annis Victores illos exponam, qui tum in Olympicis, tum in Pythicis etiam Ludis coronam obtinuerint. Ceterum perspicuus ille splendor, atque praesidium, quod in re chronologica ex Hieronicarum nominibus sperari posse iam diximus, ex alphabetica potius, quam chronologica, Serie deducitur. Siquidem, ubi Victoris alicuius nomen aut in Scriptoribus, aut in veteribus Monimentis aliis, veluti temporis nota, sive character, occurrat, ex eiusmodi Serie intelligi repente poterit ad quem Olympicum annum Victor ille spectaverit; ideoque rei gestae tempus perspicue, certoque deprehendetur: quod ex chronologica Victorum Serie longe difficilius, & obscurius agnosceretur.



OLYM-

# OLYMPIONICAE.

## A


Canthus Lacon *dolicho*. Olympiade 15. ex Africano, & Pausania Eliacorum I. c. 8.

Acesilaus Megalopolita *stadio*. Olymp. 148. Afric.

Achilleus Alexandrinus *stadio*. Olymp. 220. Afric.

Acochas Tarentinus *stadio*. Olymp. 65. Afric. Vide in *Anochus*.

Acusilaus Cyrenaeus *stadio*. Olymp. 165. Afric.

Acusilaus Rhodius Diagorae filius *pugilatu virorum*. Olymp. 86. Etenim Pausanias Eliac. II. c. 7. scribit ipsum eadem Olymp. cum Damageto fratre, sed ante Dorieum fratrem alium, vicisse. Itaque, cum Dorieus Oly. 87. vicerit, Acusilai victoria ad Oly. 86. referri debet. Acusilaum ipsum Olympiae victorem memorat Schol. Pind. ad Olymp. VII.

Aeithales Alexandrinus *stadio*. Olymp. 236. Afric.

Aenethus Lacon *pentathlo*. Olymp. *incerta*. Pauf. Lacon. c. 18. Facile Amyclaeus erat.

Aeschines Eleus *stadio*. Olymp. 5. Afric.

Aeschines Eleus alius *pentathlo* bis. Olymp. *incertis*. Pauf. Eliac. II. c. 14.

Aeschines Milesius *stadio*. Olymp. 199. Afric. Is Glaucias etiam Africano teste vocabatur.

Aesypus Eleus Timonis fil. Aegypti nep. *celete puerorum*. Olymp. *incerta*. Pauf. Eliac. II. c. 2. Timon eius pater *tethrippo* vicerat. Pauf. Eliac. II. c. 12.

Agametor Mantinensis *pugilatu puer*. Olymp. *incerta*. Pauf. Eliac. II. c. 9.

Agatharchus Corcyraeus *stadio*. Olymp. 61. Afric. & Dionys. Halic. Libr. IV.

Agathinus Eleus Thrasibuli fil. *certamine*, & Olymp. *incertis*. Pausan. Eliac. II. c. 13.

Agathopus Apinites, sive, ut Scaliger rescribendum existimat, Αἰγινήτης Aegineta *stadio*. Olymp. 238. 239. Afric.

Ageles Chius *pugil. puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 15.

Agemachus Cyzicenus *stadio*. Olymp. 147. Afric. Meminit etiam Pauf. Eliac. II. c. 13.

Agemon Eleus *celete*. Olymp. 177. Phleg. apud Phot. Codice 97.

Agenor Thebanus Theopompi fil. *lucta pueror*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 6.

Agesias Syracusius Sostrati fil. *apene*. Olymp. *incer*. Pindar. Olympiaca VI. Hierone iam regnante ex Pind. ver. 156. adeoque Olymp. 76. vel 77. vel 78.

Agesidamus Locrus Epizephyrius Archestrati fil. *pugil. puer*. Olymp. 74. Schol. Pind. ad Olymp. X.

Agiadas Eleus *pugil. puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 10.

Agis Eleus *stadio*. Olymp. 52. Afric.

Agnon Peparethius *stadio*. Olymp. 53. Afric.

Alcaenetus Lepreates Theanti fil. *pugil. puer. & viror*. Pauf. Eliac. II. c. 7. Ante Olymp. 89. qua Hellanicus eius filius vicit; sicuti Theantus filiorum alter Olymp. 90. ex Pauf.

Alcetus Clitorius Arcas Alcinoi fil. *pugil. puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 9.

Alcibiades Atheniensis Cliniae fil. *tethrippo*. Plutar. in Alcib. Athen. Lib. I. c. 2. Isocrat. Orat. de Bigis. Oly. *incer*. sed ante expeditionem Sicu-

 lam

lam ex Thucyd. Libr. VI. c. 16. adeoque an. 2. Olymp. 91.

Alcidas Lacon *stadio*. Olymp. 134. Afric.

Alcimedon Aegineta Iphionis fil. *lucta puer*. Pindar. Olymp. VIII. Olymp. 80. ex Schol. Pind.

Alcimus Cyzicenus *stadio*. Olymp. 159. Afric.

* Alcmaeon Atheniensis Megaclis fil. *tethrippo*. Herodot. Libr. VI. c. 125. Fortasse Oly. 47. qua Megaclem Alcmaeonidam vicisse scribit Schol. Pind. ad Pythic. VII. cum Pindarus Alcmaeonidas *semel* tantum Olympia vicisse dicat Pyth. VII. vers. 12. Isocrates Orat. de Bigis asserit Alcmaeonem omnium Atheniensium primum tethrippo vicisse.

Alexander Alexandrinus *stadio*. Olymp. 245. Afric.

Alexibius Heraeensis Arcas *pentathlo*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 17.

Alexinicus Eleus *lucta puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 17.

Amertes Eleus *lucta puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 8.

Amesinas Barcaeus *lucta*. Olymp. 80. Afric.

Ammonius Alexandrinus *stadio*. Olymp. 229. Afric. Epidaurus etiam is vocabatur.

Amyntas Ephesius Hellanici fil. *pancratio puer*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 4.

Anauchidas Eleus Philyis fil. *lucta puer*. mox etiam *viror*. Oly. *incer*. Pausan. Eliac. II. c. 14.

* Anauchidas alius Eleus & ipse *lucta pueror*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 16. Etenim a superiori distinguendum hunc esse tum varium victoriae genus, tum diversus etiam statuae locus ostendit. De hoc fortasse Pauf. ipse Eliac. I. c. 27.

Anaxander Lacon *curru*. Pauf. Eliac. II. c. 1. Laconum omnium primus; adeoque ante Olymp. 90. qua Lichas Arcesilai fil. Lacon *quadriga* vicit.

Anaxilas Messenius Rheginorum tyrannus *apene*. Ex Heracl. de Polit. Epinicium ipsi cecinit Simonides.

Anchionis Lacon *stadio* quater, *diaulo* ter; sed non semper in Olympiis. Pausan. Lacon. c. 14. Quod autem is unus idemque fuerit, qui Messen. c. 23. & Eliac. II. c. 13. *Chionis* appellatur, Pausanias ipse demonstrat ubi cum Chionidis Eliac. II. c. 13. tum Anchionidis Lacon. c. 14. victorias columnae inscriptas memorans, utrobique notat ipsius aetate nondum *armatorum cursum* inventum fuisse. Itaque Anchionidis aetas ostendetur in *Chionis*.

Andreas Lacedaemonius *stadio*. Olymp. 179. Afric.

Androcles Messenius *stadio*. Olymp. 3. Afric.

Andromachus Ambraciota *stadio*. Oly. 180. Afric.

Andromenes Corinthius *stadio*. Oly. 118. 119. Afric.

Androsthenes Arcas *pancratio prima vice*. Olymp. 90. ex Thucyd. V. c. 49. Pausaniae *Maenalius*, & Lochaei filius fuisse dicitur Eliac. II. c. 6. Iterum quoque pancratio eum vicisse indicat Thucydides, diserteque scribit Pausanias. Facile secunda haec victoria Olymp. 91. vel 92. nam 93. vicit Polydamas ex Afric.

Anochus Tarentinus Adamatae fil. *stadio*, & *diaulo*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 14. Idem fortasse cum *Anocha* Tarentino, qui *stadio* Olymp. 65. vicisse dicitur ab Afric.

Anodochus Cyzicenus *stadio*. Olymp. 160. Afric.

Antenor Atheniensis, vel Milesius *pancratio*, *periodo*. Olymp. 118. ex Afric. Itaque diversis annis, & Ludis. Vide Differt. IV. Num. 12.

Anticles Atheniensis *stadio*. Olymp. 110. Diod. Libr. XVI. c. 78. Olympia-

piadis huius victor excidit in Africano.

Anticles Messenius *stadio*. Olymp. 8. Afric.

Anticrates Epidaurius *stadio*. Olymp. 45. Afric.

Antigonus Macedo *stadio*. Oymp. 122. 123. Afric.

Antimachus Eleus *stadio*. Olymp. 2. Afric.

Antiochus Lepreates *pancratio*. Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 3.

Antipater Epirota *stadio*. Olymp. 161. Afric.

Antipater Milesius Clinopatri fil. *pugil. puer.* quem Dionysii Legati Syracusium renunciari curarunt ex Pauf. Eliac. II. c. 2. Itaque fortasse Olymp. 98. qua a Dionysio Theoros quadrigas cum pompa, ac muneribus ad Olympia missos fuisse scribit Diodorus Libr. XIV. c. 108.

Anubi, vel Fiolus Alexandrinus *stadio*. Oly. 240. Afric.

Apellaeus Eleus *stadio*. Olymp. 60. Afric.

Apollonides Tegeates *stadio*. Oly. 118. Diod. Libr. XX. c. 38. sed Afric. Andromenem Corinthium vicisse dicit.

Apollonius, alioque nomine Heliodorus, Alexandrinus *stadio*. Olymp. 218. Afric.

Apollonius Epidaurius *stadio*. Olymp. 203. Afric.

Apollonius Pisaeus, alioque nomine Cl. Rufus, Cl. Apollonii fil. *bis periodo* vicisse dicitur. Falcon. Inscr. Athlet. III.

Cl. Apollonius Smyrnaeus Pisaei pater *periodonica*. Oly. *incer.* Falcon. ib.

Apollophanes. Cyparissiensis *lucta puer.* Olymp. 177. Phot. Cod. 97.

Apollophanes, alioque nomine Papes, Tarsensis *stadio*. Olymp. 216. Afric.

Aptotus *periodo*. Phot. Cod. 97.

Aratus Sicyonius *curru*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 12.

Arcesilaus Cyrenaeus Polymnesti fil. *curru*. Pindar. Pyth. IV. V. VI. Olymp. 80. ex Schol.

Arcesilaus Laco Lychae pater *equis bis*. Pauf. Eliac. II. c. 2. Ante Olymp. 90. qua Lycas victor fuit.

Archias Hyblaeus Euclei fil. *praeconio* tribus continuis, sed *incertis*, Olymp. Pollux Libr. IV. c. 12. segm. 92. Certe post Olymp. 96. qua adiecti Ceryces, sive praecones; isque omnium peregrinorum Cerycum primus fuit.

Archidamus Eleus *tethrippo*. Olymp. *incert.* Pauf. Eliac. II. c. 17.

Archidamus alius Eleus Xeniae fil. *lucta puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 1.

Archilochus Corcyraeus *stadio*. Oly. 59. Afric.

Archippus Mitylenaeus *pugil. vir.* Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 15.

Argeus Argivus *dolicho*. Olymp. 113. Afric.

* Arias Tarsensis Meneclis fil. *stadio*. Olymp. *incer.* Ex Anthol. Libr. I. c. 1. Num. 3.

Arichion, sive ut appellat Pauf. Arcad. c. 40. Arrachion Phigalensis *pancratio*. Olymp. 52. 53. 54. Afric. & Pauf. ibi.

Aristander Lesbius *stadio*. Olymp. 153. Afric.

Aristeas Milesius *stadio*. Olymp. 225. Afric.

Aristeas Stratonicensis, vel Meandrius *lucta*, & *pancrat.* septimus ab Hercule. Olymp. 198. Afric. Meminit etiam Pauf. Eliac. I. c. 21.

Aristeus Argivus Chimonis fil. *dolicho*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 9.

Aristides Eleus *armat. cursu*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 16.

Aristion Epidaurius Theophili fil. *pugil. viror.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 13.

Aristo Thurius *stadio*. Olymp. 185. Afric.

* Ariſtodamas, ſive Ariſtodemus, ſive potius Dorice Ariſtodamus, Aleus Thraſydis fil. *lucta* duabus *incertis* Olymp. ante Simonidis mortem, cuius eſt Epigramma apud Hephaeſtionem

Ἴσθμια, δὶς Νέμεα. δὶς Ὀλύμπια ἐστεφανώθην
Οὐ πλάτεϊ νικῶν σώματος, ἀλλὰ τέχνᾳ.
Ἀριστοδάμας Θρασῦς Ἀλεῖος πάλᾳ.

Quae Henricus Stephanus ita reddidit
*Iſthmia, bis Nemea, & bis Olympia magna coronor*
*Corpore non lato victa, ſed arte mihi.*
*Ariſtodamas ego palaeſtrita bonus.*
Sed ibi Θράσυδος *Thraſydis*, & Ἀλεῖος *Aleus* reſcribendum arbitror: ut exprimatur illum & *Thraſydis* filium, & ex *Alea* Arcadiae Vrbe fuiſſe: ſiquidem *Eleus* eſſe non poterat, cum Elei ab Iſthmiis prohiberentur, ut Diſſ. IV. Num. 2. iam dixi; neque cum ſequente confundi poteſt, cum Simonides Olymp. 78. non exceſſerit.

Ariſtodemus Eleus Thraſydis fil. *lucta*. Olymp. 98. Afric. Meminit etiam, ſed non expreſſa Oly. Pauſ. Eliac. II. c. 3. aſſeritque Pythiis etiam *bis* viciſſe.

Ariſtolochus Athenienſis *ſtadio*. Oly. 109. Afric.

Ariſtolochus Eleus *tethrippo*. Olymp. 177. Phot. Cod. 97.

Ariſtomenes Rhodius *lucta*, *& pancrat.* Pauſ. Eliac. I. c. 21. Poſt Caprum, & ante Protophanem ex Pauſania; adeoque poſt Olymp. 142. & ante 172. quibus illi vicerunt ex Afric. Fortaſſe Olymp. 156. qua Rhodius quidam, ſed omiſſo nomine, ab Afric. viciſſe dicitur *lucta*, *& pancratio*; cum Leonidas Rhodius *ſtadio* ſolum, & *diaulo* vicerit ex Afric. & Pauſ.

Ariſtophon Athenienſis Lycini fil. *pancr. vir.* Olymp. *incer.* Pauſ. Eliac. II. c. 13.

Aritonymias Cous *pentathlo*. Olymp. 177. Phot. Cod. 97.

Artemidorus Thyatirenus *ſtadio*. Oly. 193. Afric.

Artemidorus Trallianus *pancr. vir.* Olymp. 212. Pauſ. Eliac. II. c. 14.

Arytamas Lacon *ſtadio*. Olymp. 36. ex Antigono Caryſt. Mirab. c. 133. Sed fortaſſe mendoſe. Vide Faſt. Attic. Diſſert. VIII. Num. 6. Ea certe Olymp. Phryno Athenienſis *ſtadii* victor ponitur ab Afric.

Aſamon Eleus *pugil. vir.* Olymp. *incer.* Pauſ. Eliac. II. c. 16.

Aſclepiades Sidonius *ſtadio*. Olymp. 189. Afric.

Aſiaticus Halicarnaſſaeus *ſtadio*. Oly. 197. Afric.

Aſophicus Orchomenius Cleodami filius *ſtadio puer.* Pind. Olymp. XIV. Olymp. 76. ex Schol. Pind.

* Aſtydamas Mileſius tribus, ſed *incer.* Olymp. Athen. Libr. X. c. 2. Ariobarzanis aetate.

Aſtylus Crotoniates *ſtadio*, *& diaulo* tribus continuis Olymp. vicit; quarum ultimis in Hieronis gratiam Syracuſius eſt appellatus. Pauſ. Eliac. II. c. 13. Vicit Olymp. 73. 74. 75. ex Afric. qui Aſtyalum ipſum vocat; ſicuti Diodorus Aſychum, & Aſylum Syracuſium; victoremque dicit Olymp. 75. Dionyſius Halic. Libr. VIII. Num. 1. in Olymp. 73. Crotoniatem; at Libr. VIII. Num. 77. in Oly. 74. Syracuſium ipſum appellat. Meminit Aſtyli Olympionicae etiam Plato de Leg. VIII. Plin. XXXIV. c. 8. & Clem. Strom. III.

Athenaeus Epheſius *pugil. puer.* Oly. *incer.* Pauſ. Eliac. II. c. 4.

Athenodorus Aegienſis *ſtadio*. Olymp. 207. 208. 210. Afric.

Atheradas Lacon *ſtadio*. Oly. 20. Afric.

Atticus Sardianus *ſtadio*. Olymp. 232. Afric.

Atyanas Atramytenus Hippocratis fil. *pugil.* Olymp. 177. Phot. Cod. Facile *pugil. vir.* nam *pugil. puer.* eadem Oly. viciſſe dicitur Soterichus.

Au-

Aufidius Patrensis *stadio*. Olymp. 190. Afric.

M. Aurelius Asclepiades Alexandrinus Demetrii fil. *pancratio*. Olymp. 240. Gruter. Pag. 314. Vicit etiam Oly. 6. Alexandriae, quam perperam Dodvellus existimat in 240. Elidensem incidisse. Vid. Diss. I. Num. 12.

M. Aurelius Demostratus Damas Sardianus *periodonica*. Olymp. *incer*. Falconer. Inscr. Athlet. II. Periodonica *pancratiastes*, & bis *pugilatu* victor vocatur.

B

BAcis Troezenius *lucta*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 8.

Belestiche mulier Macedonica *biga pullorum equorum*. Olymp. 128. Pauf. Eliac. I. c. 8.

Boeotorum Commune, sive potius Thebarum Civitas loco Lichae Lacedaemonii, qui *curru* vicerat. Pauf. Eliac. II. c. 2. Olymp. 90. ex Thucyd. Libr. V. c. 50.

Boeotus Sicyonius *stadio*. Olymp. 164. Afric.

Brimias Eleus *pugil. vir*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 16.

Bucellus Sicyonius *pugil. puer*. Pauf. Eliac. II. c. 13. Sicyoniorum primus.

Butas Milesius Polynicis fil. *pugil. puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 17.

C

CAius Romanus *dolicho*. Oly. 177. Phot. Cod. 97. Fortasse *puer*. nam Hypsicles etiam Sicyonius eadem Olymp. *dolicho* vicisse dicitur.

Calas Eleus *pancrat. puer*. Olymp. 177. Phot. Cod. 97.

Callias Atheniensis Phanippi fil. *celete*. Olymp. 74. Schol. Aristoph. ad Aves: ita nimirum, non Olymp. 54. legendum esse monuit Meurs. Arch. Athen. II. c. 4. Vicit is iterum Olymp. 77. *pancrat*. Pauf. Eliac. I. c. 9. & II. c. 6. Eius victoriae meminit etiam Herodotus Libr. VI. additque Calliam ipsum *tethrippo* secundum fuisse.

Callicles Sidonius *stadio*. Olymp. 209. Afric.

Callicrates e Magnesia ad Lethaeum *arm. cursu* bis. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 17.

Callippus Atheniensis *pentathlo*. Olymp. 112. Pauf. Eliac. I. c. 21.

Callippus Peleus *celete pullo*. Olymp. 177. Phot. Cod. 97.

Callisthenes Lacon *stadio*. Olymp. 26. Afric.

Callistus Sidetes *stadio*. Olymp. 222. Afric.

Calliteles Lacon Polypithis pater *lucta*. Olymp. *incer*. Eliac. II. c. 16.

Callo Harmodii fil. *pugil. puer*. Pauf. Eliac. II. c. 12.

Caper, sive, ut Africanus appellat, Carus Eleus Pythagorae fil. *lucta*, *&* *pancr*. secundus ab Hercule. Pauf. Eliac. I. c. 21. Olymp. 142. ex Afric. Meminit etiam Suidas in *Clitomachus*.

Ceras Argivus *lucta*. Olymp. 120. Afric.

Chaereas Sicyonius Chaeremonis fil. *pugil. puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 3.

Charinus Eleus *diaulo*, *& armat cursu*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 15. & Attic. c. 23.

Charmides Eleus *pugil. puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 7.

Charmis Lacon *stadio*. Oly. 28. Afric.

Chilo Patrensis Achaeus *lucta vir*. Olymp. *incer*. sed ante Olymp. 110. vel 114. hoc est bellum Chaeronense, vel Lamiacum, in quorum alterutro periit. Pauf. Eliac. II. c. 4. & Achaic. c. 6.

Chimon Argivus Aristei pater *lucta*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 9.

Chionis Lacon *stadio*. Olymp. 28. 29. 30. 31. Afric. illi Olymp. 29. 30. 31. vi-

victoriam tribuit, Charmidique 28. Pausanias Messen. c. 23. & Arcad. c. 39. Olymp. 28. 29. 30. vicisse eum scribit; licet Messen. c. 24. Xenophon Corinthius Olymp. 29. pro 79. librarii errore victor dicatur. Lacon. c. 14. dicit Anchionidem Laconem quater *stadio*, ter *diaulo* vicisse; sed non semper Olympiae.

Chromius Aetnaeus Agesidami fil. *curru*. Schol. Pind. Neme. I. Sed in Nemea solum, & Sicyone vicisse videtur. Vide in Pythionic.

Chrysamaxus, sive, ut Scaligero legendum videtur, Chrysomachus Lacon *stadio*. Olymp. 46. Afric.

Chrysogonus Nicaeensis *stadio*. Olymp. 166. 167. Afric.

* Cimon Coalemus vocatus, Miltiadis Imperatoris pater, *tethrippo* tribus, sed *incertis*, Olymp. Herod. Lib. VII. Primam victoriam Miltiadi uterino fratri, alteram Pisistrato concessit; ideoque circa Olymp. 6ç. antequam a Pisistrati filiis occideretur. Vid. Palmer. Exerc. Pag. 201.

Cleareftus Eleus *pentathlo*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 16.

Cleogenes Eleus Silani fil. *celete*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 1.

Cleomantis Clitorius *stadio*. Olymp. III. Afric.

Cleomedes Astypalaeus *pugil*. Oly. 72. sed negata palma. Pauf. El. II. c. 5.

Cleon Epidaurius *stadio*. Oly. 43. Afric.

Cleondas Thebanus *stadio*. Olymp. 41. Afric.

Cleoptolemus Lacon *stadio*. Olymp. 24. Afric.

Cleosthenes Epidamnius *curru*. Olymp. 66. Pausan. Eliac. II. c. 10. Memoratur etiam in Anth. Lib. IV. c. 2.

Cleoxenus Alexandrinus *period. pugil.* Olymp. 135. Afric.

Cletias Eleus *biga pull. equ.* Olymp. 177. Phot. Cod. 97.

Clinomachus Eleus *pentathlo*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 15.

Clito Macedo *stadio*. Olymp. 113. Afric.

Clitomachus Thebanus *pancr. & pugil.* Olymp. 142. & *pancr.* solo. Olymp. 141. Pausan. Eliac. II. c. 15. Meminit etiam Suidas.

Clitus, vel Clitostus, vel, ut Scaligero legendum videtur, Cleostratus Rhodius *lucta*. Olymp. 147. Afric.

Comaeus *stadio*. Olymp. 32. Afric.

Corcinas, sive Crocinas, ut legit Scaliger, ex Xenophonte Larissaeus *stadio*. Olymp. 94. Afric. & Xenophon Libr. II. Hellenic.

Coroebus Eleus *stadio*. Oly. 1. Afric. & Pausan. Eliac. I. c. 8.

Cranaus Sicyonius *stadio*. Olymp. 231. Afric.

Crates Alexandrinus *stadio*. Olymp. 142. Afric.

Crates Eleus *praeco*. Omnium primus Olymp. 96. Afric.

Cratinus Aegiraeus Achaeus *lucta puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 3.

Cratinus Megarensis *stadio*. Olymp. 32. Afric.

Cratisthenes Cyrenaeus Mnaseae fil. *curru*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 18.

Craoxidas Crannonius *celete*. Olymp. 33. Pauf. Eliac. I. c. 8. sed Afric. dicit Praxillam Thessalum, ubi Scaliger Crauxillam, sive Crauxidam legendum putat.

Crianius Eleus *armat. cursu*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 17.

Crison, vel Crisson Himeraeus *stadio*. Olymp. 83. 84. 85. Afric. & Diod. Libr. XII. c. 5. 23. 29. Meminit Crissonis Olympionicae etiam Plato de Leg. VIII. Clem. Alex. Strom. III. Hesych. & Dionys. Halicarnass. Lib. XI.

Critodamus Clitorius *pugil. puer.* Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 8.

* Crocon Eretriensis *celete*. Pauf. Eliac. II. c. 14.

Cylo Atheniensis *diaulo*. Olymp. 35. Afric.

Afric. Meminit victoris huius etiam Herodot. VI. c. 71. & Pauſ. Attic. c. 28.

Cynas, ſive Epinicius, Cyzicenus *ſtadio*. Olymp. 246. Afric.

Cyniſca Archidami filia, & Ageſilai Lacedaemoniorum regis ſoror *curru*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 1. & Lacon. c. 8. & 15. Meminit huius victoriae Xenophon in Ageſilao, & Plutar. Apopht. Lacon.

Cyniſcus Mantinenſis *pugil. puer*. Oly. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 4.

D

DAicles Meſſenius *ſtadio*. Olymp. 7. Halicar. Libr. I. Phlegon, & Afric. a quo tamen Diocles appellatur. Is omnium victorum primus corona donatus fuit.

Damagetus Rhodius Diagorae fil. *pancr*. ante Dorieum ipſius fratrem. Pauſan. Eliac. II. c. 7. Itaque Olymp. 86. Vide in *Dorieus*.

Damarchus, ſive Demarchus Parrhaſius Dinyittae fil. *pugil. vir*. Oly. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 8.

Damaretus Heraeenſis, ſive, ut perperam ab Africano vocatur, Heraclides, *armat. curſu*. Olymp. 65. ex Afric. etiam 66. ex Pauſ. Eliac. II. c. 10. & Phoc. c. 7. Meminit etiam Eliac. I. c. 8. & Arcad. c. 26.

Damaretus Meſſenius *pugil. puer*. Oly. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 14.

Damaſias Amphipolites *ſtadio*. Olymp. 115. Afric.

Damaſias Cydoniates *ſtadio*. Olymp. 201. Afric.

Damiſcus Meſſenius *ſtadio puer*. Oly. 103. Pauſan. Eliac. II. c. 2.

Damon Delphus *ſtadio*. Olymp. 162. Afric.

Damon Thurius *ſtadio*. Olymp. 101. & 102. Afric. Diod. Libr. XV. c. 36. & 50. Pauſ. Achaic. c. 25. Arcad. item c. 27.

Damoxenidas Maenalius *pugil. vir*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 6.

Dandes Argivus *ſtadio*. Olymp. 77. Afric. Ita Halic. Libr. IX. num. 37. ſed Datem ipſum appellat.

Daſmon Corinthius *ſtadio*. Olymp. 14. Afric. & Pauſ. Meſſen. c. 13. Ab Afric. Deſmon vocatur.

Demaratus Epheſius *ſtadio*. Olymp. 194. & 195. Afric.

Demetrius Alexandrinus M. Aurelii pater *periodonica*. Falcon. Inſcr. Athlet. Olymp. *incer*. ſed ante Oly. 240. qua vicit M. Aurelius.

Demetrius Alexandrinus *ſtadio*. Olymp. 238. Afric. Unus idemque facile cenſeri iſte poterit cum ſuperiori Demetrio Alexandrino M. Aurelii Aſclepiadis patre, qui etiam apud Gruterum Pag. 313. *periodonices* appellatur. Siquidem M. Aurelius Olymp. 240. victor fuit.

Demetrius Chius *ſtadio*. Olymp. 233. Afric.

Democrates Tenedius *lucta vir*. Oly. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 17. Idem facile, qui ab Aeliano memoratur V. H. lib. IV. c. 15.

Democritus Megarenſis *ſtadio*. Olymp. 152. Afric.

Demoſthenes Lacon *ſtadio*. Olymp. 116. Afric. Dinomenes a Diodoro vocatur Libr. XIX. c. 17. Deinoſthenes a Scaligero.

Deutelidas Lacon *pentathlo puer*. Oly. 38. Afric. Is Eutelidas a Pauſ. Eliac. I. c. 9. vocatur, & II. c. 15.

Diagoras Rhodius Damageti fil. *pugil. vir*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 7. Ante Olymp. 87. qua vicit Dorieus eius filius. Diagorae cecinit Epinicium Pindarus Olympiaca VII.

Diallus Smyrnaeus Pollidis fil. *pancrat. puer*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 13.

Dicon Syracuſius Callibroti fil. *ſtadio*. Olymp. 99. Afric. & Diod. Libr. XV. c. 14. & etiam alia, ſed *incerta*

*ta*, Olympiade. Cauloniates erat, ſeque Syracuſium appellari pretio paſſus eſt. Vicerat etiam inter pueros, ſed ignoto certamine. Pauſ. Eliac. II. c. 3.

Didas Arſinoita *pugilatu* vicit Olymp. 226. ſed multatus quod cum Garapammone pacta pecunia conveniſſet. Pauſ. Eliac. I. c. 21.

Didymus Alexandrinus *ſtadio*. Olymp. 230. Afric.

Dinolochus Eleus Alcinoi fil. *ſtadio puer*. Olymp. 102. Pauſ. Eliac. II. c. 2.

Dinomenes Lacon. Vide *Demoſthenes*.

* Dinomenes Hieronis *tethrippo*. Oly. *incer*. Anthol. Libr. IV. c. 2.

Dinoſthenes Lacon *ſtadio vir*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 16.

Diocles Corinthius *ſtadio*. Olymp. 13. Afric.

Diocles Hypepaenus *ſtadio*. Olymp. 178. Afric.

Diocles Meſſenius. Vide *Daicles*.

Diodorus Sicyonius vicit Olymp. 158. ex Pauſ. Achaic. c. 16. Ita nimirum in Pauſ. & Plinio Lib. XXXIV. c. 2. reſcribendum, ut cum Memmii Achaici conſulatu conſpiret. Fortaſſe vero vel *lucta*, vel *pugilatu* vicit. Certe non *ſtadio*, cum Ortho Syracuſius tunc *ſtadio* vicerit.

Diodotus Tyaneus *ſtadio*. Olymp. 191. Afric.

Diognetus Crotoniates *ſtadio*. Olymp. 58. Afric.

Dion Cypariſſienſis *ſtadio*. Olymp. 176. Afric.

* Dionyſius Alexandrinus *ſtadio*. Oly. 262. Scaliger in Serie Alphab. Sed ignotum mihi unde acceperit.

Dionyſius Alexandrinus Oſameumys, ſive Sameumus *ſtadio*. Olymp. 226. & 227. Afric.

Dionyſius Seleucienſis *lucta*, & *pancr*. Olymp. 232. Afric.

Dionyſodorus Tarentinus *ſtadio*. Oly. 100. Afric. & Diod. Libr. XV. c. 23.

Diophanes Aeolenſis *ſtadio*. Olymp. 192. Afric.

Diophanes Pruſaenſis *ſtadio*. Olymp. 198. Afric.

* Diopompus *athleta* una cum Criſſone, & Aſtylo *Olympionicis* a Platone recenſetur Libr. III. de Leg. Meurſius tamen de Arch. Ath. III. c. 2. unum hunc eundemque eſſe putat, qui Theopompus ab aliis appellatur.

Dioxippus Athenienſis *pugilatu*. Oly. *incer*. Aetate Alexandri Magni ex Diod. Libr. XVII. c. 101. & Diogenis Cynici ex Aelian. V. H. Lib. XII. c. 58. & Plutar. de Curios. Mortem ſibi conſcivit an. 3. Oly. 113. Diod. ibi.

Dorieus Rhodius Diagorae fil. *pancratio*. Olymp. 87. 88. & 89. Thucyd. Lib. III. c. 8. Olympiade 88. *ſecundo* viciſſe dicit. Ita Pauſ. Eliac. II. c. 7. ipſum poſt Damagetum fratrem, adeoque poſt Olympiadem 86. ſive Olympiade 87. viciſſe teſtatur, proximiſque etiam duabus Olymp. A Pindari Schol. Olymp. VII. *pugilatu* viciſſe dicitur.

Dorotheus Rhodius *ſtadio*. Oly. 141. Afric.

Dotades Meſſenius *ſtadio*. Olymp. 10. Afric.

Dromeus Mantinenſis *pancratio*. Oly. 75. Etenim Pauſanias Eliac. II. c. 11. ipſum viciſſe dicit cum Theagenes Euthymum pugilem perculit, adeoque *pancratii* coronam non obtinuit: quod 75. Olymp. contigiſſe dixerat c. 6. Hinc etiam Dromeus *ἀκονιτί intacto pulvere* viciſſe dicitur quod in Certamen non deſcenderit, reiectoque Theagene victoria ipſi decreta fuerit.

Dromeus Stymphalius *dolicho*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 7.

Duris Samius *pugil. puer*. Oylmp. *incer*.

*cer.* cum Samii ex Insula sunt eiecti. Pauf. Eliac. II. c. 13. ipsisque demum restitutis statua Duridi constituta fuit. Ea vero Samiorum fuga fortasse hic innuitur, quae ab Herodoto memoratur Libr. III. c. 149. Darii temporibus paullo ante Oly. 67. Vid. etiam Strabo Libr. XIV.

E

EMaution Arcas *stadio puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 17.

Empedocles Agrigentinus Metonis fil. Philosophus *celete*. Laertius ex Satyro Libr. VIII. seg. 53. Athen. I. c. 2. & Suidas in Ἀ'θυναις. Olymp. *incer.* Sed circa Olymp. 86. qua floruit: quum is eadem Olymp. una cum Exaeneto filio vicisse dicatur, annosque vixerit solum 60. ex Laertio.

* Empedocles Agrigentinus Metonis pater, & Philosophi avus *celete*. Oly. 71. ex Aristotele apud Laert. VIII. seg. 51.

* Endymion Aetolus *celete* bis. Oly. *incer.* Anthol. Libr. III. c. 2.

Epaenetus Argivus *stadio puer.* Olymp. 175. Afric.

Eperastus Eleus Theogoni fil. *armat. cursu*. Pausan. Eliac. II. c. 17.

Epharmostus Opuntius *lucta*. Pindar. Olymp. IX. Olymp. 73. ex Schol. ad vers. 15.

Epicradius Mantinensis *pugil. puer.* Olymp. *incer.* Pausan. Eliac. II. c. 10.

Epidaurus, alioque nomine Ammonius, Alexandrinus *stadio*. Olymp. 229. Afric.

Epinicius, sive Cynas, Cyzicenus *stadio*. Olymp. 246. Afric.

Epitelidas, sive Epitelides Lacon *stadio*. Olymp. 50. Afric. & Halic. Lib. IV. num. 1.

* Epitherses Erythraeus Metrodori fil. *pugil.* Duabus, sed *incertis*, Olymp. Pauf. Eliac. II. c. 15.

Erato Aetolus *stadio*. Oly. 135. Afric.

Eratosthenes Crotoniata *stadio*. Oly. 51. Afric.

Ergoteles Cretensis Philanotis fil. *dolicho*. Pind. Olympiaca XII. Olymp. 77. ex Schol. Pind. Pausanias Eliac. II. c. 4. iterum *dolicho* vicisse eum scribit; ideoque Himeraeum appellari, quod ex Cnosso patria Vrbe fugiens Himeram concessisset.

Eryxias Chalcidensis *stadio*. Olymp. 62. Afric.

Evagoras Eleus *biga adult. equorum*. Oly. 93. qua instituta illa fuit. Afric. & Xenoph. Hellen. I. & Pauf. Eliac. I. c. 8.

Evagoras Lacon *curru*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 10. Sed ante Cleosthenem, sive Olympiadem 66. qua ille vicit. Meminit ipsius Herodotus Libr. VII. atque ante Cimonem vicisse eum dicit ibi c. 103.

Evalcis Eleus *pugil. puer*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 16.

Evander Thessalus *stadio*. Oly. 64. Afric.

Evanoridas Eleus *lucta puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 8.

Evanthes Cyzicenus *pugil. vir.* Olymp. *incer.* Pauf. II. c. 4.

Eubatus Cyrenaeus *stadio*. Olymp. 93. Diod. Lib. XIII. c. 68. & Xenophon Hellenic. Lib. I. qui Eubotam ipsum vocat; Africanus autem Eucatum. Meminit etiam Aelianus V. H. Lib. X. c. 2.

Eubotas Cyrenaeus *stadio*, simulque, ut fertur, *curru*. Olymp. 104. qua Arcades Ludis praeerant; ex Pauf. Eliac. II. c. 8. Diodorus tamen Lib. XV. c. 78. Phocidem Atheniensem tunc *stadio* vicisse dicit; & Africanus Phocidem ipsum non *stadio*, sed *lucta* victorem ponit. Ceterum, sive stadio, sive lucta is vicerit, a superiori distingui debet; cum & aliqua in nominibus varietas reperiatur; & Pausanias, singulas huius victorias enumerans, victoriam aliam, quae ante undecim Olymp. parta fuisset, omiserit.

Eubulidas Laodicenus *stadio*. Olymp. 205. Afric.

Eucles Rhodius Callianactis fil. & Callipatirae, quae Diagorae filia fuit, *pugil. vir.* Olymp. *incerta*. Pauf. Eliac. II. c. 7. Is Euclon a Schol. Pindari vocatur ad Olymp. VII.

* Eudaemon Aegyptius *pugil.* Olymp. *incerta*. Philostr. Heroic. c. 2. §. 6. Circa Olymp. 100. Vivebat enim eo tempore, quo Philostratus Vinitorem de Protesilao loquentem inducit; ac Vinitor ipse dicit Protesilai facellum a Medis *patrum* aetate, hoc est Olymp. 75. violatum fuisse.

Eudaemon Alexandrinus *stadio*. Oly. 237. Afric.

Eudamus Cous *stadio*. Olymp. 172. Afric.

Eupolemus Eleus *stadio*. Olymp. 96. Afric. & Pauf. Arcadic. c. 45. At in Eliac. II. c. 3. Leonti Ambraciotae stadii palmam concessam ait. Diodorus stadii victorem Eupolidem Eleum vocat Lib. XIV. c. 55.

Eupolus Thessalus *pugil.* Olymp. 98. Pauf. Eliac. I. c. 21.

* Eurybates Lacon *pentathlo*. Olymp. *incer.* Sed ante proelium Marathonium, adeoque Olymp. 72. Herod. Lib. VI. c. 92.

Eurybatus Lacon *lucta*. Olymp. 18. Pauf. Eliac. I. c. 8.

Eurybatus Lacon alius *tethrippo pull.* Olymp. 99. Afric. sed Pausaniae Eliac. I. c. 8. Sybariades vocatur.

Eurybus Atheniensis *stadio*. Olymp. 27. Afric. & Halicarnass. Lib. II. Sed hic Euribatem vocat; sicuti Pausan. Corinth. c. 24. Euribotum.

Eurycles Lacon *stadio*. Olymp. 47. Afric.

Euryclidas Lacon *stadio*. Olymp. 37. Afric.

* Eurydamas Cyrenaeus *pugil.* Olymp. *incerta*. Hic dentes ab Adversario sibi excussos deglutivit. Scalig. Pag. 354. & Rhodig. Ant. Lect. XXI. c. 41. ex Aeliano V. H. lib. X. c. 19.

Eurylas Chalcidensis *stadio*. Olymp. 112. Afric. & Diodoro: a quo tamen Grylus vocatur. Lib. XVII. c. 40.

Euryleonis mulier Lacaena *biga equor.* Olymp. *incerta*. Pauf. Lacon. c. 17.

Eustolus Sidetes *stadio*. Olymp. 223. Afric.

Eutelidas Lacon *lucta*, simulque *pentathlo puer.* Olymp. 38. Pauf. Eliac. II. c. 15. & I. c. 9. Vide *Deutelidas*.

Euthymenes Maenalius *lucta puer.* & *vir.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II c. 8.

Euthymus Locrus Epizephyrius Astyclis fil. *pugil.* Olymp. 74. 76. 77. Victus a Theagene Olymp. 75. Pauf. Eliac. II. c. 6.

Exagentus Agrigentinus *stadio*. Oly. 91. & 92. Afric. Diod. Lib. XII. c. 82. & XIII. c. 34. sed ille Exaenetum appellat: ut Aelianus etiam V. H. Lib. II. c. 8.

* Exaenetus Agrigentinus Empedoclis Philosophi fil. eadem Olymp. una cum patre vicit *lucta*, sive, ut alii ferunt, *cursu*. Laert. Libr. VIII. seg. 53. Itaque vicit ante Olymp. 91. adeoque a superiori distingui debet.

## F

FIdus, alioque nomine Anubi, Alexandrinus *stadio*. Oly. 240. Afric.

* T. Flavius Artemidorus Adanensis duabus *incertis* Olymp. *incerto* certamine. Ex Marm. apud Rhein. Clas. V. Num. 22. Spon. Misc. Er. Ant. Sect. X. num. I. Van-Dale de Marm. Diss. VIII. Pag. 655. Vid. Diss. IV. Num. 13.

## G

GArapammon Arsinoita *pugil.* malis artibus; adeoque una cum Di-

da

da multatus. Olymp. 226. Pauſ. Eliac. I. c. 21.

Gelo Gelous Dinomenis fil. *curru*, Oly. 73. Pauſ. Eliac. II. c. 9. ubi demonſtrat hunc a Gelone tyranno diſtinguendum.

Gelo Lacon *ſtadio*. Oly. 44. Afric.

Glaucias Crotoniata *ſtadio*. Olymp. 48. Pauſ. Phoc. c. 7. & Afric. ſed Glycon ab iſto vocatur.

Glaucias, alioque nomine Aeſchines, Mileſius *ſtadio*. Olymp. 199. Afric.

Glaucon Athenienſis Eteoclis fil. *curru adult. equorum*. Olymp. *incer.* Pauſ. Eliac. II. c. 16.

Glaucus Caryſtius Demyli fil. *pugil.* Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 10. Demoſthenes ipſius, tanquam *antiqui* pugilis, meminit Orat. de Falſa Legat. Vide in *Philammon*.

Glycon. Vide *Glaucias Crotoniata*.

Gnatho Dipaeenſis Maenalius *pugil. puer*. Oly. *incer*. Pauſ. El. II. c. 7.

Gorgias Leontinus Carmantidae fil. *oratione*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 17.

Gorgus Eleus *pentathlo* quater; *diaulo* ſemel; & ſemel *armat. curſu*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 15.

Gorgus Meſſenius Eucleti fil. *pentathlo*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 14.

Granianus Sicyonius *ſtadio*. Olymp. 231. Afric. Pauſ. Corinth. c. 11. dicit illum etiam *pentathlo* bis, *diaulo* ſemel, & ſemel *armat. curſu* viciſſe. Ab Africano tamen Cranaus vocatur.

Grylus. Vide *Eurylas*.

Gryſon. Vide *Criſſon*.

Gygis Lacon *ſtadio*. Oly. 33. Afric.

## H

HEcatomnus Eleus *ſtadio*. Olymp. 177. Afric. & Phlegonti apud Phot. Cod. 97. ſed Phlegon Mileſium dicit.

Hegeſarchus Tritaeenſis Haemoſtrati fil. *pugil.* Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 12.

Heliodorus Alexandrinus. Vide *Apollonius*.

* Helix *lucta vir.* & *pancratio*. Olymp. *incerta*. Philoſtr. Heroic. c. 2. §. 6. Poſtquam vicerat *lucta*, conatus eſt etiam *lucta* & *pancratio* vincere; ſed *pancratii* ſolum corona ipſi conceſſa fuit. Circa Olymp. 100. Coaevus Eudaemonis. Vide in *Eudaemon*.

Hellanicus Eleus *biga*, & *tethrippo pullor. equ.* Oly. 177. Phot. Cod. 97.

Hellanicus Lepreates Alcaeneti fil. *pugil. puer*. Olymp. 89. Pauſ. Eliac. II. c. 7.

Heraclides Alexandrinus *pugil*. Olymp. 218. Pauſ. Eliac. I. c. 21. Meminit ipſius Plutar. Symp. Lib. I. quae. 6.

Heraclides Salaminius *ſtadio*. Olymp. 144. Afric.

Heraclitus Samius *ſtadio*. Oly. 143. Afric.

Heras Chius *ſtadio*. Oly. 234. Afric.

Heras Laodicenus *periodo*. Olymp. *incer*. Anth. Lib. IV. c. 2. Num. 2. Ante Philippum Epigr. auctorem, qui ſub Auguſto floruit.

Hermeſianax Colophonius Agonei fil. *lucta puer*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 17.

Hermodorus. Vide *M. Aurelius Aſclepiades*.

Hermogenes Pergamenus *ſtadio*. Oly. 202. Afric.

Hermogenes Xanthius *ſtadio*. Olymp. 215. 217. Afric. Tribus Ludis hunc *octies* viciſſe ſcribit Pauſ. Eliac. II. c. 13. ideoque Hippus, ideſt *equus*, vocatus fuit.

Hero Alexandrinus *ſtadio*. Olymp. 241. Afric.

Herodorus Megarenſis *cantu in periodo*. Olymp. *incer*. Athen. X. c. 3. & Poll. Lib. IV. ſegm. 89. 90. Demetrii Poliorcetae aetate, adeoque circa Olymp. 120. Athen. *decem*, Pollux *ſeptemdecim* vicibus viciſſe refert *periodum*.

Herodotus Clazomenius *stadio puer*. Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 17.

Herodotus Halicarnassaeus Historicus *oratione*. Olymp. *incerta*. Lucian. in Herod.

Hetoemocles Lacon *lucta* qninquies. Pauf. Lacon. c. 13. Oly. *incer.* sed post Hippofthenem eius patrem, qui vicit Olymp. 37. 39. & quatuor sequ.

Hiero Aetnaeus Dinomenis fil. *celete* Pind. Oly. I. five *curru*. Sch. ibi. Oly. 73. iterumque *celete*. Olymp. 78. Schol. ibi. Syracusius etiam vocatur. Pindarus victoriam equo Pherenico partam laudavit; adeoque *celete* vicit Olymp. 73. Pausanias quoque Hieronem *curru* vicisse subindicat Eliac. II. c. 12.

Hieronymus Andrius *pentathlo*. Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 14. & Lacon. c. 11. Tisamenum Eleum *lucta* vicit ante proelium Plataeense; adeoque Olymp. 75. an. 2.

Hippo Eleus *pugil. puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 3.

Hippocleas Thessalus Phriciae fil. *diaulo*. Olymp. 72. 73. Schol. Pindari ad Pyth. X.

Hippomachus Eleus Moschionis fil. *pugil. puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 12.

Hippofthenes Lacon *lucta puer.* Oly. 37. Mox *lucta vir.* Olymp. 39. 40. 41. 42. 43. Afric. Pausanias quoque Lacon. c. 13. ipsum sexies *lucta* vicisse memorat.

Hippostratus Crotoniata *stadio*. Olymp. 54. & 55. Afric.

Hippostratus Seleuciensis *stadio*. Oly. 149. Afric.

Hippus. Vide *Hermogenes*.

Hyllus Rhodius annos natus 18. *lucta vir.*. Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 14.

Hypenus Eleus *diaulo*. Olymp. 14. Afric. & Pauf. Eliac. I. c. 8. Sed is Pisaeum illum vocat.

Hyperbius Syracusius *stadio*. Olymp. 90. Afric.

Hypsicles Sicyonius *dolicho*. Oly. 177. Phot. Cod. 97.

Hysmon Eleus *pentathlo*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 3.

## I

ICarius Hyperessiensis *stadio*. Olymp. 23. Afric. & Pauf. Messen. c. 15.

Icasius Colophonius Lucini fil. *lucta puer.* Olymp. *incer.* sed post Hermesianactem maternum avum. Pauf. Eliac. II. c. 17.

Iccus Tarentinus Nicolaidae fil. *pentathlo*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 10.

Idaeus Cyrenaeus, alioque nomine Nicator, *stadio*. Olymp. 126. Afric. In Pausania tamen dicitur ipsum vicisse Olymp. 120. Eliac. II. c. 12. sed errore librarii.

Iolaidas Argivus *stadio*. Olymp. 139. Afric.

Isarion Alexandrinus *stadio*. Olymp. 224. Afric. Scaliger legendum putat Ilarion.

Ischomachus Crotoniates *stadio*. Oly. 68. & 69. Halicar. Lib. V. num. 1. & 37. & Afric. a quo tamen Isomachus appellatur.

Ischyrus Himeraeus *stadio*. Olymp. 66. Afric.

Isidorus Alexandrinus *lucta*. Olymp. 177. Phot. Cod. 97.

Isidorus Alexandrinus *stadio*. Olymp. 243. & 244. ex Afric.

## L

LAbax Eleus ex Lepreo Euphronis fil. *pugil.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 3.

Ladas Aegiensis *stadio*. Olymp. 125. Afric. & Pausan. Phoc. c. 23. Meminit iterum Pauf. Laconic. c. 21.

Ladas Lacon *dolicho*. Olymp. *incer.* Pauf. Lacon. c. 25. Corinth. c. 19. Arcad. 12. & Anthol. Lib. IV. c. 2.

La-

Ladromus Lacon *stadio*. Olymp. 57. Afric.

Lamachus Tauromenites *stadio*. Oly. 181. Afric.

Lampis *pentathlo*. Olymp. 18. Pauſ. Eliac. I. c. 8. & Afric. qui Lampiam appellat.

Lampus Philippenſis *curru*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 4.

Laſthenes Thebanus Olymp. 94. fortaſſe *celete*. Etenim Diodorus, qui Libr. XIV. c. 3. dixerat Corcinam *stadio* viciſſe, ſubdit c. 11. Laſthenem quoque hac Olymp. viciſſe, ipſumque equo Coronea Thebas contendiſſe; quod non de Olympico, ſed de Thebano fortaſſe Ludo intelligendum. Fortaſſe Agon ille Cheroneae celebratus a Diodoro hic innuitur, quo Promachus Pellenenſis lucta vicit. Pauſan. Achaic. c. 27.

Laſtratidas Eleus Paraballontis fil. *lucta puer*. Olymp. *incer*. Pauſan. Eliac. II. c. 6.

* Lelegetes ex Callipatira, vel Aſtypatira potius Diagorae filia natus, & Euclis, ſive Euclonis frater, *certamine*, & Olymp. *incer*. Schol. Pind. ad Olymp. VII.

Leo Ambraciota *stadio*. Olymp. 96. Pauſ. Eliac. II. c. 3. contra Eupolemum Eleum, qui hac Olymp. *stadio* viciſſe dicitur ab Afric.

Leochares Meſſenius *stadio*. Olymp. 11. Afric.

Leonidas Rhodius *stadio*. Olymp. 154. 155. 156. 157. & *lutta*, *&* *pancr*. Oly. 156. Tertius ab Hercule. Afric. Pauſ. Eliac. II. c. 13. dicit ipſum *quater* Olympia viciſſe, palmaſque *duodecim* obtinuiſſe.

* Leontiſcus Meſſanenſis Siculus *lucta*. Olymp. *incerta*. Pauſ. Eliac. II. c. 4. Certe a ſequenti diſtinguendus, quem Siculi, ut aliqua ratione ſuum facerent, non Meſſenium, ſed Zanclaeum dixere: hic vero perſpicue, certoque Meſſanenſis, adeoque Siculus dicebatur.

Leontiſcus Zanclaeus, ſive Meſſenius, *certamine*, & Olymp. *incer*. Pauſan. Eliac. II. c. 2. Poſt Olym. 31. qua Meſſenii extorres ſunt facti ex Peloponneſo; & ante Olymp. 103. qua reſtituti. Pauſ. Meſſen. c. 27.

Leophron *certamine*, & Olymp. *incer*. ex Athen. Lib. I. c. 1. & Suida in Α'θηναῖος.

Lichas Lacon *curru*. Olymp. 90. Pauſ. Eliac. II. c. 2. & Thucyd. Lib. V. c. 50. Vide *Boeotorum Commune*.

Lucas Alexandrinus *stadio*. Oly. 228. Afric.

Lycinus Crotoniata *stadio*. Olymp. 49. Afric.

Lycinus Eleus *pugil. puer*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 7.

Lycinus Hereaenſis *curſu*; fortaſſe *stadio puer*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 10.

Lycinus Lacon *curru*. Olymp. *incer*. Pauſ. Eliac. II. c. 2.

Lycotas Lacon *stadio*. Oly. 42. Afric.

Lycus Corinthius Phidolae fil. bis *celete*. Olymp. 68. Pauſ. Eliac. II. c. 13. Antholog. Lib. IV. c. 2.

Lycus Lariſſaeus *stadio*. Olymp. 82. Afric. & Halic. Lib. X. num. 53. & XI. num. 1.

Lycus Meſſenius *pentathlo*. Olymp. *incer*. quamvis Pauſanias victoriam hanc a Corinthiis celebratam incognitam ſibi dicat. Corinth. c. 7.

Lygdamis Syracuſius *pancratio*. Oly. 33. Afric. & Pauſan. Eliac. I. c. 8. & Solinus c. 14.

Lyſippus Eleus *lucta puer*. Olymp. *incer*. Pauſan. Eliac. II. c. 16.

## M

MAgnes Cyrenaeus *stadio*. Olymp. 242. Afric.

Mario Alexandrinus Marionis fil. *lucta*, & *pancr*. Sextus ab Hercule. Olymp. 182. Afric. Meminit etiam Pauſ. El. I. c. 21.

Me-

Megacles Atheniensis fortasse *tethrippo*. Olymp. 47. ex Sch. Pind. ad Pyth. VII. qui certaminis tamen genus non exprimit. Cum tamen Pindarus Alcmaeonidas *semel* tantum Olympia vicisse dixerit ver. 12. atque Alcmaeon *Olympionica* ab Herodoto memoretur, facile vel Scholiastes fallitur, vel potius Megacles iste ex Alcmaeonidarum gente non fuerat.

* Melancomas e Caria *certam*. & Oly. *incerta*; sed ante Titi Caesaris mortem, cui & coaevus, & carus fuit Melancomas huius Olympionicae fil. & Pythiorum victor. Dion Chrysost. Orat. 28, & 29.

Melesias Olymp. *incer.* ex Pind. Oly. VIII. Scholiast. recent. asserit illum *lucta puer.* Olympia, ac Nemea vicisse; mox etiam *pancratio*; sed incertum an Olympia ipsa. Erat Alcimedontis, ac Timosthenis fratrum paedotriba.

Menalces Eleus *pentathlo*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 16.

Menestheus Barcylites *stadio*. Olymp. 137. Afric.

Menon Atheniensis *stadio*. Olymp. 95. Afric. & Diodor. Lib. XIV. c. 36. a quo Minos vocatur.

Menoptolemus Apolloniates ex Ionia *stadio puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 14.

Menus, vel Menon, Megarensis *stadio*, Olymp. 19. Afric.

Micinnas Rhodius *stadio*. Olymp. 114. Afric. & Diodor. Libr. XVII. c. 93.

Micion Boeotus *stadio*. Olymp. 146. Afric.

Micrinas Tarentinus *stadio*. Oly. 107. Afric. & Diod. Libr. XVI. c. 37. cui Smicrinas vocatur.

Milo Crotoniata *lucta puer.* semel; mox *lucta vir.* quinquies. Pauf. El. II. c. 14. & Scholia. Aristoph. ad Ranas. Act. I. Sc. 2. & Diod. Lib. XII. c. 9. Septimo certaturus in Timasithei civis sui gratiam abstinuit. Afric. Olymp. 62. *lucta* victorem ponit; quod illa fortasse primum vicerit. Etenim anno 3. Olymp. 83. adhuc superstes erat ex Diod. ibi. Meminit etiam Simonides in Anthol. Lib. III. c. 2. num. 2. dicitque illum *septies* Olympia vicisse.

Miltiades Atheniensis *curru*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 10. sed ante Olymp. 66. sive Cleosthenem, qui ipsa vicerat. Cimonis *Coalemi* filius erat, primusque ex ea familia Cherroneso imperavit.

* Miltiades Cypseli fil. Cherronesi Dynastes, Cimonis Coalemi uterinus frater. Huic Cimon ipse victoriam *tethrippo* partam, dum Pisistratum tyrannum fugeret, attribuit ex Herodoto Libr. VI. c. 47. Itaque paullo post Olymp. 54. qua Pisistrati tyrannis incepit.

Minos, Vide *Menon*.

Mnaseas Cyrenaeus *armat. cursu*. Oly. *incer.* Pausan. Eliac. II. c. 13.

Mnasibulus Erateus *stadio*. Oly. 235. Afric. Pauf. vero Phoc. c. 34. ipsum *diaulo scuto armatum* vicisse dicit; sed Mnesibulum Elateum vocat.

* Mnasitheus. Vide *Timasitheus*.

Molpio, quem ab Eleis coronatum testatur inscriptio ipsius statuae subiecta. Pauf. Eliac. II. c. 4. Itaque victoria, patria, certamen, ac aetas *incerta*.

Moschus Colophonius *pugil. puer.* & *puerili periodo*. Oly. 145. Afric.

Myron Sicyonius *curru*. Olymp. 33. Pauf. Eliac. II. c. 19. Hic Sicyoniorum thesaurum in Olympia dedicavit. Pauf. ibi. Fortasse etiam Delphis.

## N

Narycidas Phigalensis Damareti fil. *lucta vir.* Olymp. *incer.* Pauf. El. II. c. 6.

* Ne-

* Nelaidas Eleus *stadio*, & *armat. cursu*. Olymp. *incer*. Pauf. El. II. c. 16.

Neolaidas Pheneates ex Arcadia Proxeni fil. *pugil. puer*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 1.

Nero Augustus *praeconio*, *comoedia*, *tragoedia*, & *curru*. Olymp. 211. anno 3. Afric. Philostr. Vita Apollon. Lib. IV. c. 24. Sueton. c. 22. & 24. Dion Lib. 63. Zonar. Annal. XI.

Nicaeas Opuntius Locrus *stadio*. Oly. 70. Afric. qui Nicaestam vocat, & Halic. Lib. VI. num. 50.

Nicander Eleus *diaulo*. Duabus, sed *incertis*, Olymp. Pauf. Eliac. II. c. 16.

Nicator. Vide *Idaeus*.

Nicocles Acriates *cursu* victorias *quinque* duabus, sed *incertis*, Olymp. obtinuit. Pauf. Lacon. c. 22.

Nicodemus Lacon *stadio*. Olymp. 169. Afric.

Nicomachus Philadelphiensis *stadio*. Olymp. 168. Afric.

* Nicon Thasius *pugil*. Olympia, *lucti*, *pancratio*, *cursu*, aliisque *certamin*. vicit; idque fortasse saepius, cum is 1400. coronas ex variis Graeciae Ludis abstulisse dicatur. Sed Oly. *incerta*. Suidas in *Nicon*.

Nicophon Milesius *pugil*. Olymp. *incer*. Anthol. Lib. I. c. 1. Num. 5. Ante Antipatrum Caesari coaevum, cuius est Epigr.

Nicostratus Argeates *lucta*, & *pancratio* septimus ab Hercule. Olymp. 204. Afric. qui tamen ipsum Stratum, vel Stratim appellat. Pausanias, praeter luctae, pancratiique victoriam, alias etiam ipsi tribuit. Eliac. I. c. 21.

Nicostratus Heraeensis Xenoclidae fil. *lucta puer*. Oly. *incer*. Pauf. II. c. 3.

O

OEbotas Dymaeus Oeniae fil. *stadio*. Olymp. 6. Pauf. Eliac. II. c. 3. & Achaic. c. 17. & Afric. a quo tamen Oebolas vocatur.

Olyntheus Lacon *stadio*. Olymp. 38. & 40. Afric.

Onesicratus Salaminius *stadio*. Olymp. 150. Afric.

Onomastus Smyrnaeus *pugil*. Olymp. 23. Afric. & Pausan. Eliac. I. c. 8.

Orsippus Megarensis *stadio*. Olymp. 15. Afric. & Pauf. Attic. c. 44. & Eustath. ad Iliad. + Omnium primus nudus cursum absolvit. In Homericis Scholiis male Lacedaemonius vocatur, & Olymp. 32. victus dicitur.

Ortho Syracusius *stadio*. Olymp. 158. Afric.

Oxythemis Coronaeus *stadio*. Oly. 12. Afric.

P

PAeanius Eleus Damatrii fil. *lucta*. Olymp. 41. Pauf. Eliac. II. c. 15. & 16.

Pagondas Thebanus *curru*. Olym. 25. Pausan. Eliac. I. c. 8. Idem fortasse, qui Pato Thebanus hac Olymp. *tethrippo* victor dicitur ab Afric.

Pammenes Magnes ad Maeandrum *stadio*. Olymp. 196. Afric.

Pantacles Atheniensis *stadio*. Olymp. 21. & 22. Afric.

Pantarces Eleus *lucta puer*. Olymp. 86. Pauf. Eliac. II. c. 10. & *celete*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 15.

Pappes. Vide *Apollophanes*.

Paraballon Eleus *diaulo*. Olymp. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 6.

Parmenidas Posidoniates *stadio*. Oly. 78. Diod. Lib. XI. c. 65. & Halicar. Lib. IX. num. 56. Sed Africanus Xenophontem Corinthium stadio victorem dicit.

Parmenides Camarinaeus *stadio*. Oly. 63. Afric.

Parmenides Mitylenaeus *stadio*. Oly. 117. Afric. & Diod. Lib. XIX. c. 87. sed Parmenionem appellat.

Parmeniscus Corcyraeus *stadio*. Oly. 171. & 173. Afric.

Pa-

Pataecus Dymaeus Achaeus *calpe*. Olymp. 71. Pauf. Eliac. I. c. 9.

Pato Thebanus *tetbrippo*. Olymp. 25. Afric. Vide *Pagondas*.

Paurus Cyrenaeus *ftadio*. Olymp. 105. & 106. Afric. & Diod. Lib. XVI. c. 2. fed Porum ipfe appellat: atque in Olymp. 106. non Cyrenaeum, fed Malienfem dicit Lib. XVI. c. 15. Paufanias vero Phoc. c. 2. Prorum Cyrenaeum vocat.

* Paufanias Cleombroti fil. Lacedaemoniorum rex *certamine*, & Oly. *incertis*. Plutar. Apophth. Lacon. Antequam Delii cum Athenienfibus de Infulae dominatu difceptarent; hoc eft, ut opinor, Ol. 89. an. 3. quo Delios ab Athenienfibus Infula eiectos fcribit Diod. Libr. XII. c. 73.

Perigenes Alexandrinus *ftadio*. Oly. 127. Afric.

Phaedimus Alexandrinus *pancr. puer.* Oly. 145. Afric. Phaedonem etiam appellat Scaliger.

Phaedrus Pharfalius *ftadio*. Olymp. 56. Afric.

Phanas Pellenenfis *ftadio*. Olymp. 67. Afric. etiam *dolicbo*. Olymp. *incer.* Pauf. Meffen. c. 17.

* Phayllus Crotoniata *armat. curfu*, & *pentatblo*. Olymp. *incer.* Schol. Ariftoph. ad Acharn. Act. I. Sce. 5. Curfus pernicitate infignis. Meminit etiam Herod. Libr. VIII. c. 47. ac Pythia ter viciffe dicit. Floruit Olymp. 75. atque in Salaminia pugna Crotoniatum triremi praefuit.

* Phayllus alius, quem *athletam* fuiffe, atque Olympiade 8. viciffe fcribit Ariftoph. Schol. loco cit. Vtriufque meminit Suidas in *Phayllus*.

Pheidolas Corinthius *celete*. Pauf. El. II. c. 13. Olymp. *incer.* fed ante Oly. 68. qua Lycus eius filius vicit.

Pherenicus Eleus *lucta puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 16.

Pherias Aegineta *lucta puer.* Olymp. 79. Pauf. Eliac. II. c. 14.

* Philammon *pugilatu* Olympia vicit, & coronam obtinuit. Glauco Caryftio iunior, fed antiquior Oly. 110. qua ipfius meminit Demofthenes in Orat. *de Falfa Legat.* Non alius, ut opinor, is fuerit, quam qui ab Euftathio Athenienfis, femperque victor vocatur ad Iliad. ✝. Pag. 1324.

Philetas Sybarites *pugil. puer.* Olymp. 41. Pauf. Eliac. I. c. 1. & Afric. qui Philotam Sycaritem vocat.

Philinus Cous Hegefipolidis fil. *ftadio*. Olymp. 129. & 130. Afric. Pauf. Eliac. II. c. 17. ipfum *curfu* quinquies viciffe dicit.

Philippus Crotoniata Butiadae fil. *certamine*, & Olymp. *incer.* Herod. Lib. V. c. 47.

* Philippus Macedonum rex *celete*. Oly. 106. cum Philippus nuncium de Alexandri filii ortu, fimulque de victoria Olympiae parta acceperit; ex Plutar. in Alex. Dicitur etiam viciffe *curru*, eafque victorias Numis infculpfiffe.

Philippus Pallaneus Azan vocatus, quod ex Azania Arcadiae foret, *pugil. puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 8.

Philles Eleus *lucta puer.* Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 9.

Philombrotus Lacon *pentatblo*. Oly. 26. 27. & 28. Afric.

Philomelus Pharfalius *ftadio*. Olymp. 124. Afric.

Philon Corcyraeus Glauci fil. *pugil. puer.* Duabus, fed *incertis*, Olymp. Pauf. Eliac. II. c. 9. Ante Simonidem, qui illum Epigrammate laudavit.

* Philo Corcyraeus *curfu inter pueros*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 14. Itaque a fuperiori diftinguendus; ficuti ipforum ftatuas in Olympia diftinctas, variifque in locis pofitas effe teftatur Paufanias.

* Philonides Zoti fil. ex Creten fi Cherronefo *hemerodromus*. Itaque facile

le *cursu* in Olympia victor, licet id a Pausania diserte non afferatur. Oly. *incer.* Sed Alexandri M. aetate. Pausan. Eliac. II. c. 16.

Philostratus Rhodius *pugil.* Oly. 178. Pauf. Eliac. I. c. 21.

Philotas. Vide *Philetas*.

Phocides Atheniensis *stadio*. Oly. 104. ex Diod. Libr. XV. c. 78. Afric. tamen ipsum tunc *lucta* vicisse dicit. Vide in *Euboeas*.

Phormio Halicarnassensis *pugil.* Oly. 97. Pauf. Eliac. I. c. 21.

Phricias Thessalus *armat. cursu*. Duabus *incertis* Oly. ex Schol. Pind. ad Pyth. X. ver. 21. Sed ante Hippocleam eius filium, qui Pythia vicit anno 3. Olymp. 70.

Phryno Atheniensis *stadio*. Oly. 36. Afric. quamvis Antig. Carystius ponat Arytamantem.

Pisidorus Rhodius non ex Callipatira, sed ex alia Diagorae filia natus *pugil. puer.* Pauf. Eliac. II. c. 7. & Schol. Pindari ad Olymp. VII. Oly. *incer.* sed post Olymp. 86. qua Damagetus avunculus vicit. A Scholiaste Pind. Pisirrhotius vocatur. De eius matre vide inter Anonymos in *Pherenice*.

* Pisistratus Atheniensis tyrannus. Ipsi victoriam secundam sibi *tethrippo* in Olympia partam Cimon concessit. Herod. Libr. VI. c. 103. Itaque inter Olymp. 54. qua Pisistrati tyrannis incepit, & 62. qua Pisistratus obiit.

Plutarchus *pugilatu*. Olymp. *incerta*. Philostr. Heroic. c. 2. §. 6. dicit illum vicisse τὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα ἐπὶ τοὺς ἄνδρας *secunda Olympiade in virorum certamine*, atque cum Hermia Aegyptio contendisse. Loydius, ac Dodvellus ideo falsum id afferunt, quod *pugilatus* Olympiade solum 23. usurpari coeperit. Fieri fortasse potest ut in Philostrato vox, aut numerus alius exciderit; sed fieri etiam potest ut Philostratus Oly. illam hic *secundam* vocaverit, in qua Plutarchus ipse, qui fortasse prius *in pueris* vicerat, iterum, vel *secunda* vice *in viris* coronam obtinuit.

Polemon Petraeus *stadio*. Oly. 200. Afric.

Polites Ceramites e Thracia Caria *stadio*, *diaulo*, & *dolicho* eadem die. Olymp. 212. Pauf. Eliac. II. c. 13. Afric. solum *stadium* memorat.

Polus Epidaurius *stadio*. Olymp. 17. Afric.

Polychares Messenius *stadio*. Oly. 4. Afric. & Pauf. Messen. c. 4.

Polycles Cyrenaeus *stadio*. Oly. 108. Afric. & Diod. Lib. XVI. c. 54.

Polycles, Polychalcus, dictus *tethrippo*. Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. I. c. 1.

Polyctor Eleus Damonici fil. *pugil. puer.* Olymp. 192. Pauf. Eliac. 1. c. 21.

Polydamas Scotussaeus Niciae fil. *pancratio*. Oly. 93. Afric. Meminit victoriae Pauf. Eliac. II. c. 5. & Achaic. c. 27.

Polymnastus Cyrenaeus *stadio*. Oly. 81. Afric. Halic. Libr. X. num. 26. & Diod. Libr. XI. c. 83.

Polymnestor Milesius *stadio puer.* Oly. 46. Afric. & Solinus c. 5.

Polynices Eleus *stadio puer.* Oly. 37. Afric.

Polypithes Laco Callitelis fil. *curru*. Olymp *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 16.

Porus. Vide *Paurus*.

Praxidamas Aegineta *pugil.* Oly. 59. Pauf. Eliac. II. c. 18. & Pind. Neme. VI. ver. 32.

Praxillas. Vide *Crauxidas*.

Procles Andrius Lycastidae fil. *lucta puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 14.

Promachus Pallenaeus Drionis fil. *pancr.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 8. Polydamanti Scotussaeo coaevus; ex Pauf. Achaic. c. 27. simulque Alexandro M. Pallenenses tamen ipsum *quater* vicisse dicunt. Pauf. ibi.

S Pro-

Protolaus Mantinensis Dialcis fil. *pugil. puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 6.

Protophanes Magnes *lucta*, & *pancratio*; quartus ab Hercule. Olymp. 172. Afric. Meminit victoriae etiam Pauf. Attic. c. 35. & Eliac. I. c. 21.

Psaumis Camarinaeus Acronis fil. *tethrippo*, *apene*, & *celete*. Pindar. Olymp. IV. & V. Oly. 82. Shol. ib.

Pyrilampes Ephesius *dolicho*. Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 3.

Pyrrhias Aetolus *stadio*. Olymp. 145. Afric.

Pyrrhus Eleus *equorum cursu*. Oly. 102. Pauf. Eliac. II. c. 1.

Pythagoras Lacon *stadio*. Olymp. 16. Afric. & Halicar. Lib. II. num. 58.

Pythagoras Magnesius *stadio*. Oly. 120. & 121. Afric.

Pythagoras Samius Cratei fil. *pugil. vir.* Olymp. 48. Laert. Libr. VIII. seg. 47. & Afric.

Pythagoras *celete*. Oly. 71. Scaliger. At fortasse fallitur: etenim hac Oly. Empedocles *celete* vicisse dicitur.

Pytharchus Mantinensis *stadio puer.* Olymp. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 7.

* Pythes Abderita Andromenis fil. duas hic statuas, Pantarcis instar, habuit Olympiae; ex Pauf. Eliac. II. c. 14. Itaque fortasse, sicuti Pantarces unam habuit ut Olympionica, aliam ut sequester pacis, ita Pythes unam ut militum ductor, aliam ut Olympiorum victor.

Pythocles Eleus *pentathlo*. Oly. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 7.

Pythocles Sicyonius *stadio*. Oly. 136. Afric.

Pythocritus Sicyonius *auloedia*. Sex *incertis* Olymp. Pauf. Eliac. II. c. 7. & 14. sed circa Oly. 50. cum vicerit etiam Pythiadas 3. 4. 5. 6. & 7. 8. Vide inter Pythionicas.

Pythostratus Atheniensis *stadio*. Oly. 103. Diod. Lib. XV. c. 71. & Afric. a quo Ephesius appellatur.

Pyttalus Eleus Lampidis fil. *pugil. puer.* Olymp. *incer.* Pausan. Eliac. II. c. 16. Fortasse ante Olymp. 103. qua anno 3. Diod. Lib. XV. c. 77. inter Arcades, atque Eleos de finibus disputatum dicit; Pausanias autem Pyttalum ab Eleis ipsis, atque Arcadibus inter sese decertantibus arbitrum electum fuisse testatur.

## R

Rhexibius Opuntius *pancratio*. Oly. 61. Pauf. Eliac. II. c. 18. Rhexillus a Scaligero vocatur.

Rhipsolcus Lacon *stadio*. Olymp. 39. Afric.

Rhodon Cumaeus. Vide *Theodotus*.

Cl. Rufus, alioque nomine Apollonius, Pisaeus *periodo*. Olymp. *incer.* Falconer. Inscript. Athlet. III.

## S

Sarapion Alexandrinus *stadio*. Oly. 204. Afric. Pauf. Eliac. I. c. 21. Serapionis Alexandrini meminit, qui Oly. 201. *pancratio* certaturus, adversariorum metu, abstinuit: & Eliac. II. c. 23. Serapionis etiam Alexandrini, qui Oly. 217. Olympiae coronam obtinuit.

Satornilus Gortynius *stadio*. Oly. 247. Afric.

Satyrus Eleus Lysianactis fil. *pugil.* Duabus, sed *incertis*, Oly. Pauf. Eliac. II. c. 4.

Scamander Alexandrinus *stadio*. Oly. 186. Afric.

Scamander Mitylenaeus *stadio*. Olymp. 76. Afric. & Halic. Lib. VI. num. 18. & Diod. Lib. XI. c. 48. qui Scamandrium appellat.

Seleadas Lacon *lucta vir.* Olymp. *incert.* Pauf. Eliac. II. c. 16.

Seleucus Macedo *stadio*. Ol. 128. Afric.

Simmias Seleuciensis ad Tigrim *stadio*. Olymp. 170. Afric.

Si-

Simylus Neapolites *stadio*. Oly. 133. Afric.

Smaragdus, alioque nomine Theonas, Alexandrinus *stadio*. Olymp. 221. Afric.

Smicrinas. Vide *Micrinas*.

Socrates *lucta*, & *pancratio*; nonus ab Hercule. Oly. 232. Afric.

Socrates Pelleneus *stadio puer*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 8. & Achaic. c. 17. ubi Sostratum appellat, ipsumque vicisse dicit cum statua Oebotae posita fuit, quod Oly. 80. contigisse dixerat Eliac. II. c. 3. & Achaic. c. 17.

Sodamas Assius ex Troade *stadio puer*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 4.

Sopater Argivus *stadio*. Olymp. 187. Afric.

Sophius Messenius *stadio puer*. Olymp. *incer*. Pausan. Eliac. II. c. 3.

Sophron Ambraciota *stadio*. Oly. 87. Afric. & Diod. Lib. XII. c. 37.

Sosander Smyrnaeus Sosandri fil. *pugil. puer*. Olymp. 192. Pauf. Eliac. I. c. 21.

Sosigenes Asianus *stadio puer*. Oly. 177. Phot. Cod. 97.

Sosippus Atheniensis *stadio*. Oly. 98. Diod. Libr. XIV. c. 108. & Afric. qui Delphum fuisse dicit.

Sostratus. Vide *Socrates Pelleneus*.

Sostratus Sicyonius *pancrat*. Oly. 104. & mox duabus aliis, sed *incertis*, Oly. Pausan. Eliac. II. c. 4. Acrochersites cognomento dictus.

Sotades Cretensis *dolicho*. Olymp. 99. & 100. Pausan. Eliac. II. c. 18. Sed Olymp. 102. se Ephesium dixit.

Sotericus Eleus *pugil. puer*. Oly. 177. Phot. Cod. 97.

Sphaesus Lacon *stadio*. Olymp. 35. Afric. & Halicar. Lib. III. num. 36.

Sphodrias Sicyonius *pancratio*. Ol. 177. Phot. Cod. 97.

Stephanus Cappadox *stadio*. Olym. 219. Afric.

Sthenis Eleus *pugil puer*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 17.

Stomas Atheniensis *stadio*. Olym. 34. Afric.

Stomius Eleus *pentathlo*. Oly. *incert*. sed post pugnam Leuctricam; adeoque. Oly. 102. Pauf. Eliac. II. c. 3.

Strato Alexandrinus Corrhagi fil. *lucta*, & *pancratio*; quintus ab Hercule. Olym. 178. Afric. & Aelian. V. H. Lib. IV. c. 15. Ab Afric. Stratonicus appellatur. Meminit Pausan. El. I. c. 22. & Ach. 23.

Strato Alex. *stadio*. Ol. 214. Afric.

Stratus Argeates. Vid. *Nicostratus*.

Sybariades Lacon. Vide *Eurybatus*.

Symmachus Eleus Aeschyli fil. *lucta*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 1.

Symmachus Messenius *stadio*. Oly. 88. & 89. Afric. & Diod. Lib. XII. c. 49. & 65. Meminit etiam Pauf. El. II. c. 2. ipsumque a Siculis non Messenium, sed Zanclaeum vocari dicit.

## T

Taurosthenes Aegineta *lucta*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 9. Meminit etiam Aelian. V. H. Lib. IX. c. 2.

Telemachus Eleus *equis*. Oly. *incert*. Pauf. Eliac. II. c. 13.

Telestas Messenius *pugil. puer*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 14.

Tellis Sicyonius *stadio*. Oly. 18. Afric.

Tello Thasius *pugil*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 10.

Terinaeus Eleus *stadio* Oly. 97. Afric. & Diod. Lib. XIV. c. 95. qui Terirem appellat.

Thalpius Lacon *stadio*. Ol. 25. Afric.

Theagenes Thasius Timosthenis fil. *pugil. vir*. Oly. 75. Pauf. Eliac. II. c. 6. & 11. Meminit Plinius VII. c. 17.

Theantus Lepreates Alcaeneti fil. *pugil. puer*. Oly. 90. Pauf. El. II. c. 47.

Thebanus Populus. Vide *Boeotorum Commune*.

* Theocrestus Cyrenaeus *equis*. Oly. *incert*. Pauf. Eliac. II. c. 12.

* Theocrestus Cyrenaeus superioris nepos

pos *equis*. Oly. *incer*. Pauf. ibi. Facile uterque *curru*. Certe avo in Olympia currus eft dedicatus.

* Theocritus *lucta*. Olym. *incer*. Anthol. Lib. I. c. 1. num. 7. Ante Simonidis mortem, qui ipfum Epigram. laudavit.

Theodorus Eleus *pentathlo*. Oly. *incert*. Pauf. Eliac. II. c. 16.

Theodorus Meffenius *ftadio*. Oly. 183. & 184. ex Afric.

Theodotus, alioque nomine Rhodon, Cumaeus *ftadio*. Oly. 213. Afric.

Theognetus Aegineta *lucta puer*. Ol. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 9. & Schol. Pind. ad Pyth. VIII. ver. 49. Erat Ariftomenis Pythionicae avunculus. Schol. ibi. Ipfius ftatuam in Olympia fecit Polycles Synnoontis fil. Ante Oly. 83. qua vicit Ariftomenes. ex Schol. Sed facile is fallitur. Vide inter *Pythionicas*.

Theonas Alexandrinus. Vid. *Smaragdus*.

Theopompus Heraeenfis Demareti fil. *pentathlo*; duabus, fed *incer*. Olym. Pauf. Eliac. II. c. 10. Poft Oly. 65. qua vicit ejus pater.

Theopompus Heraeenfis fuperioris fil. *lucta*, & *pentath*. Duabus Oly. *incer*. Pauf. ibi.

Theopompus Theffalus *ftadio*. Ol. 86. Afric. & Diod. Lib. XII. c. 33. Idem fortaffe qui Diopompus Platoni dicitur.

Theotimus Eleus Mofchionis fil. *pugil. puer*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 17. Poft Alexandrum M. Mofchioni coaevum.

Theron Agrigentinus Aenefidami fil. *curru*. Pind. Olymp. II. Oly. 77. ex Schol. Pind. ibi. & Ifthm. II. v. 41.

Therfias Theffalus *apene*. Olymp. 70. Pauf. Eliac. I. c. 9.

Therfilochus Corcyraeus *pugil. puer*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 13.

Theffalus Corinthius *curfu*, fortaffe *diaulo*. Pind. Olymp. XIII. verf. 49. Oly. 69. Schol. ibi.

* Thrafydeus Thebanus *curru*. Pind. Pyth. XI. ver. 70. Oly. *incer*. Vicit Pythia Oly. 76. & 81.

Thymelus Afpendius *ftadio*. Ol. 151.

* Tiberius Auguftus *tethrippo*. Ol. 199. Afric.

Timaeus Eleus *buccina*. Olymp. 96. Afric.

Timanthes Cleonaeus *pancrat. vir*. Ol. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 8.

* Timafitheus Crotoniata viciffe videtur Olympia, cum Milo ejus civis *feptimo* certaturus ejus amore a certamine abftinuerit. Pauf. Eliac. II. c. 14. & Schol. Ariftoph. ad Ranas Act. I. Scen. 2. Sic etiam Suidas in *Timon*; ubi Timafitheum, five, ut appellat ipfe, Mnafitheum, victorem fuiffe dicit.

Timafitheus Delphus *pancrat*. Duabus Oly. *incert*. Paufan. Eliac. II. c. 8. Obiit fub Pififtratidis. Paufan. ibi. & Lacon. c. 4.

Timo Eleus *curru*. Olym. *incert*. qua Aefypus ejus fil. *celete* vicit. Pauf. Eliac. II. c. 2. Etiam *pentathlo*. Oly. *incert*. Pauf. Eliac. I. c. 2. & II. c. 16.

Timo Eleus Aegypti fil. *curru*. Olym. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 12.

Timodemus Athenienfis Timonoi fil. fortaffe *pancratio*. Oly. *incert*. Scholiaft. Pindari ad Neme. II. poftquam *pancratio* vicerat Nemea. Schol. ibi.

Timofthenes Eleus *ftadio puer*. Oly. *incer*. Paufan. Eliac. II. c. 2.

Timotheus Trallianus *ftadio*. Oly. 163. Afric.

* Tifamenus Eleus Antiochi fil. *pentathlo*. Hieronymum Andrium fuperans Olympia vicit. Herod. Lib. IX. c. 32. Ante pugnam Plataeenfem, in qua Spartanorum Dux fuit; adeoque ante Oly. 75. Paufanias tamen Tifamenum a Hieronymo fuperatum dicit. Eliac. II. c. 14.

Tifander Naxius Cleocriti fil. *pugil. vir*. Quatuor, fed *incert*. Olym. Paufan. Eliac. II. c. 13.

Tifi-

Tisicrates Crotoniata *stadio*. Oly. 71. & 72. Afric. & Halic. Lib. VI. n. 1. & 34. & 49. sed Stesicratem appellat. Pausan. Eliac. II. c. 9. meminit victoriae *stadio*. Oly. 72.

Tlepolemus Lycius *celete pullor*. Ol. 131. Pausan. Eliac. I. c. 8.

Toryllas Thessalus *stadio*. Olym. 80. Diod. Lib. XI. c. 77. Halicar. Lib. X. num. 1. a quo Torymbas vocatur; sicut ab Afric. Tyrymnas.

Troilus Alcinoi fil. *biga adult. equorum*, simulque *curru pullorum*. Ol. 102. Pauf. Eliac. II. c. 1.

Trosidamas. Vide *Heliodorus Alexandrinus*.

Tryphon Philadelphiensis *stadio*. Oly. 211. anno 3. in quem Nero Ludos Olympicos differri jussit. Afric.

* M. Tullius Apamensis *pugil*. Olym. *incert*. ex Marmore Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect. X. num. 113.

Tyrymnas. Vid. *Toryllas*.

## V

VAlerius Mitylenaeus *stadio*. Olym. 206. Afric.

M. Vlpius Domesticus *periodo*. Olym. *incer*. sed Hadriani, & Antonini aetate. Falcon. Inscr. Athl. I.

## X

XEnarges Acarnan Philandridae fil. *pancrat*. Oly. *incert*. Pauf. Eli. II. cap. 2.

* Xenarges Lacon *equis*. Oly. *incert*. sed post irruptionem Xersis in Graeciam, adeoque Oly. 75. Pauf. El. II. cap. 2.

Xenocles Maenalius *lucta puer*. Oly. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 9.

Xenocles Messenius *stadio*. Olymp. 9. Afric. & Pauf. Messen. c. 5. a quo tamen Xenodocus vocatur.

Xenocles *tragoedia*. Olym. 91. Aelian. V. H. Lib. II. c. 8. Euripidem superavit.

Xenocrates Agrigentinus Aenesidami fil. *equis*. Pythiade 24. hoc est Ol. 72. sed vicit etiam Olympia ex Pindaro Isthm. II. vers. 41. & Schol. ibi.

Xenodamas Anticyraeus *pancrat. vir*. Ol. 211. Pausan. Phoc. c. 36. Hanc Olymp. ab Eleis minime recensitam notat Pausanias; quod Olympici nimirum Ludi ad annum 3. dilati fuerint. Vide in *Nero*.

Xenodicus *pugil puer*. Ol. *incert*. Pausan. Eliac. II. c. 14.

Xenodocus Messenius. Vide *Xenocles*.

Xenombrotus e Coo Meropidis *equis* inter *pueros*. Ol. *incer*. Pauf. El. II. c. 14.

Xenophanes Aetolus *stadio*. Ol. 132. Afric.

Xenophon Aegiensis Achaeus Menephili fil. *pancr*. Oly. *incer*. Pausan. Eliac. II. c. 3. sed post Olymp. 86. ante quam Achaeorum nullus, Oebota excepto, Olympia vicit. Pausan. Achaic. c. 17.

Xenophon Corinthius Thessali filius *stadio*, & *pentathlo* eadem die. Pindarus Ol. XIII. & Schol. Olym. 79. Schol. ibi. In Pausan. Messen. c. 24. depravate legitur Olymp. 29. Afric. Olymp. 79. meminit victoriae *stadio* partae. Sic quoque Dionys. Halic. Lib. IX. num. 61. & Diod. Lib. XI. c. 70.

## Z

ZEno Lepreates Callitelis fil. *stadio puer*. Oly. *incert*. Pauf. Eliac. II. c. 15.

Zopyrus Syracusius *stadio*. Olym. 140. Afric.

* . . Al-

# ANONYMI.

* . . . . . Alcimedontis Aeginetae gentiles. Etenim Pind. Oly. VIII. v.100. dicit Olympicam Alcimedontis victoriam fuisse *sextam* in familia. Itaque, si non omnes, aliqua saltem Olympica fuit.
* . . . . . Anaxandri Laconis avus *pentathlo*. Ol. *incer*. Pauf. El. II. c. 1.
* . . . . . Chilonis Lacedaemonii fil. fortasse Damagetus nomine, si avo cognominis fuit; *pugilatu*. Ol. *incer*. sed post Ol. 56. qua Chilo Spartae Ephorus fuit ex Laert. I. seg. 68. Itaque facile Olym. 57. cum Chilo ipsum victoriae potitum amplexatus obierit. Laert. seg. 72. & Tertull. de Anima c. 29.
* . . . . . Crotoniata, qui coronam Olympiae partam ab Hellanodicis accepturus interiit ex Aelian. V. H. Lib. IX. c. 31. *Certam.* & Ol. *incer.*
* . . . . . Lyci Corinthii filii, vel certe ipsius fratres, *celete*. Olymp. 68. & 69. Pauf. Eliac. II. c. 13.
* . . . . . Mendaeus *pentathlo*. Olym. *incert*. Pauf. Eliac. I. c. 27.
* . . . . . Milesius, qui Ephesium civem antagonistam vicit *lucta*, postquam huic Ephesiae literae, vel incantationes ereptae fuerant; ex Suida in Ἐφέσια Γράμματα, & Eustath. Odyss. T.
* . . . . . Pherenices pater, & tres fratres Olympia vicerant; adeoque, cum pugilem etiam filium ipsa adduceret, Ludos inspicere permissa fuit. Aelian. V. H. Lib. X. c. 1.
* . . . . . Pisidori, sive Pisirrhotii, & Lelegetis *pater*, Diagoraeque gener, una cum filiis vicisse dicitur a Schol. Pind. ad Olymp. VII. Orti videntur ex Aristopatira altera Diagorae filia; quae cum patris, fratrumque Olympionicarum statuas ostendisset, ipsa quoque spectatum admissa fuit. Facile cum Pherenice confundi posset, cum certe Pausanias Eliac. I. c. 6. mulierem hanc ab aliis Cherenicem, ab aliis Callipatiram vocatam esse testetur.
* . . . . . Samius *pugilatu*. Ol. *incert*. Pauf. Eliac. II. c. 2.
* . . . . . Senator Romanus *certam.* & Ol. *incert.* sed aetate Pausaniae; adeoque circa Adriani tempora. Pausan. Eliac. I. c. 20.
* . . . . . Thrasydaei Thebani pater Olympia vicisse dicitur a Scholiaste Pind. ad Pyth. XI. ver. 79. Sed Pythia solum vicisse videtur.
* . . . . . Vir ignotus fortasse Olympionica, cujus statua Olympiae a Ptolomaeo Lagi dicata fuit. Pausan. Eliac. II. c. 3.
* . . . . . Vir pusillo corpore, qui Pythia *tibiis* vicerat, sicuti Pythocritus Pythia, & Olympia ex Pausan. Eliac. II. c. 14. Itaque, cum ejus statua prope Pythocritum in Olympia cum tibiis collocata fuerit, is Olympicis quoque Ludis vicisse videtur.

# PYTHIONICAE.

## A



AEchmaeas Parapotamius *pugilatu puerorum* in Pythiade ab Amphictyonibus celebrata. Olymp. 47. vel potius 48. Pauf. Phocic. c. 33. Vide Differ. II. Num. 3.

Agesilaus Lusensis *celete*. Pyth. 11. hoc est Oly. 59. Pauf. Arcad. c. 18.

Agesilaus Tegeates *assis fidibus*, hoc est *citharoedia sine cantu*. Pythiade 8. hoc est Oly. 56. Pauf. Phoc. c. 7. & Strabo Libr. IX. pag. 421.

Amertes Eleus *lucta vir*. Pyth. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 8.

* C. Antonius Septimius Publius *citharoedia*; ex Marm. Oxon. III. Pythiade *incer*. sed certe post Commodum: dicitur enim vicisse etiam *Commodeia*. Vide Differt. II. Num. 14. & III. Num. 16.

Apollo dum Pythonem occidit; in prima Pythiorum institutione. Vide Differt. II. Num. 12.

* Apollonius Pisaeus. Vide *Cl. Rufus*.

* Cl. Apollonius Smyrnaeus *periodonica*. Falconer. Inscr. Athlet. III.

Arcesilaus Cyrenaeus *curru*. Pindarus Pythiaca IV. & V. Pythiade 31. & 32. hoc est Olymp. 79. & 80. Schol. ib. & ad Pyth. VI.

Archias Hyblaeus *praeconio*. Pyth. *incer*. Pollux Lib. IV. c. 11. seg. 92.

Archippus Mitylenaeus *pugil. vir*. Pyth. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 15.

Aristides Eleus *diaulo*. Pyth. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 16.

* Aristodemus Eleus Thrasyclis fil. *lucta*. Duabus, sed *incertis*, Pythiad. Pauf. Eliac. II. c. 3. Circa Oly. 98. qua vicit *lucta*.

Aristomenes Aegineta Xenarcis fil. *lucta puer*. Pindarus Pythiaca VIII. nam ver. 39. & 45. *puerum* ipsum vocat. In Odes titulo dicitur vicisse *curru*. Sed *luctator* etiam vocatur; & ver. 116. innuitur *lucta* solum victorem ipsum fuisse: sicuti ver. 94. Pindarus ait ipsum Delphinia iam *pentathlo* vicisse. Schol. vicisse dicit Pythiade 35. hoc est Oly. 83. Sed Pindari aetas repugnat.

* Aristonus *citharoedia*. Sex *incertis* Pythiad. ex Plutar. in Lysandro; sed antequam Lysander Athenas occuparet; ideoque Oly. 94. an. 1.

M. Aurelius Asclepiades Alexandrinus duabus *incertis* Pythiad. Gruter. Pag. 314. 1. Circa Olymp. 240. Vide Differ. III. Num. 16.

* M. Aurelius Demostratus Damas Sardianus *periodonica*. Pythi. *incer*. Falconer. Inscr. Athl. II. *pancratiasta*, & *pugil* vocatur; & fortasse bis *periodo* vicit, quamvis Falconer. de gemino *pugilatu* intelligat. Vide in Olympionicis.

## C

CAlais Boreae fil. Argonauta *dolicho*; ex Schol. Pind. in Argum. I. ad Pythia.

Callias Aegineta Creontis fil. *pugil*. Pindarus Neme. VI. ver. 63. & Schol. ibi. Pyth. *incerta*.

* Callias Atheniensis Phanippi fil. *certam*. & Pythi. *incer*. Herod. Lib. VI. c. 122. Circa Olymp. 74. qua *equo* vicerat.

* Casmylus Rhodius Evagorae fil. *pugilatu*. Pyth. *incer*. Anthol. Lib. III. c. 2. num. 1. Ante Simonidis mortem, cuius est Epigr.

Castor Iovis fil. Argonauta *stadio*; ex Schol. Pind. in Argum. I. ad Pythia.

Ce-

Cephallen Olympi, vel Lampi fil. *citharoedia*. Pythicis Ludis Amphictyonum. Oly. 48. Pausan Phocic. c. 7.

Chabrias Aexonensis *tethrippo*. Pythiade 53. hoc est Olymp. 101. anno 3. Demosth. adver. Neaeram. Vide Differ. II. Num. 7.

Chilo Achaeus Patrensis *lucta vir.* Pythiad. *incer*. Pausf. Eliac. II. c. 4.

Chrysothemis Cretensis Carmanoris fil. *hymnodia in Apollinem*. Prima Pythiorum institutione. Pausf. Phocic. c. 7.

* Clemens Byzantius *tragoedia*. Philostr. Vit. Sophist. Libr. II. Num. 27. c. 2. anno 3. Olymp. 243. adeoque Pythiade 195. Vide Differ. II. num. 9.

Clisthenes Sicyonius *curru*. Pyth. 1. Olymp. 49. Pausf. Phocic. c. 7.

Clitomachus Thebanus Hermocratis fil. *pancratio*. Tribus, sed *incertis*, Pythiad. Pausf. Eliac. II. c. 15. Circa Olymp. 141. qua *pancratio* vicit.

D

Diagoras Rhodius Damageti fil. *pugil.* Pythi. *incer*. Schol. Pindari ad Oly. VII. ver. 31.

Dicon Cauloniates, vel Syracusius, Callibroti fil. *cursu*. Quinque, sed *incertis*, Pythiad. Pausf. Eliac. II. c. 3. Circa Oly. 99. qua vicit *cursu*.

* Diophon Philonis fil. *pentathlo*. Pyth. *incer*. Anthol. Lib. I. c. 1. num. 8.

Ἴσθμια, καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

*Isthmia, & Pythia Diophon Philonis f. vicit*
*Saltu, cursu, disco, iaculo, lucta.*

Itaque ante Simonidis mortem, cuius est Epigr. Vide Diff. I. Num. 8.

Dorieus Rhodius Diagorae fil. fortasse *pancratio*. Pythi. *incer*. Pausf. El. II. c. 7. Circa Oly. 87. qua vicit *pancratio*. Pythia vicisse dicitur ἀκονιτὶ *intacto pulvere*.

Dromeus Stymphalius *dolicho*. Duabus *incertis* Pythiad. Pausf. Eliac. II. c. 7.

E

Echembrotus Arcas *auloedia*. Pythiade ab Amphicty. celebr. Oly. 48. Pausf. Phoc. c. 7.

* Eleuther *cantu*. Pausf. Phoc. c. 7. Longe ante Pythiades numeratas.

Epharmostus Opuntius *lucta*. Pythiade 30. Oly. 78. Schol. Pind. ad Oly. IX. ver. 18.

* Epitherses Erythraeus Metrodori fil. *pugil.* Duabus *incertis* Pythiad. Pausf. Eliac. II. c. 15.

Ergoteles Himeraeus Philanoris fil. *dolicho*. Duabus Pythiad. Pindarus Olymp. XII. ver. 26. Pythiade 29. hoc est Oly. 77. vicisse dicitur a Schol. ibi. Meminit etiam victoriae Pausf. El. I. c. 4. Sed alterius Pythiadis tempus ignoratur.

* Eumelus Eleus *cithara*, & *cantu*, & Pyth. *incer*. superavit Evangelum Tarentinum. Lucianus *adv. indoctum* Libris superbientem.

* Eunomus Locrus *citharoedia*. Pythiade *incer*. Strabo Lib. VI. pag. 260. Clem. Alex. init. Protrept. Lucian. Authol. Libr. IV. c. 16. num. 1. & VI. c. 4. num. 1. & Suidas. A Strabone dicitur superasse Aristonem Rheginum, a Luciano Arionem, ab Epigr. Spartin, vel Parthyn: quod fortasse iterato vicerit.

Eupolemus Eleus *pentathlo*. Duabus, sed *incertis*, Pythiad. Pausf. Eliac. II. c. 3. Circa Olymp. 96. qua ipse vicit *stadio*.

Execestides Phocensis *biga adult. equorum*. Pythi. 48. hoc est Oly. 96. Pausf. Phocic. c. 7.

F

* T. Flavius Artemidorus Adanensis *certam.* & duabus Pythiad. in-

*incertis*. Rheinesf. Claff. V. Num. 22. Vide Differ. IV. Num. 13. Fortafse *pancratio*.

G

GLaucus Caryftius Demyli fil. *pugil.* Duabus, fed *incertis*, Pythiad. Pauf. Eliac. II. c. 10.

H

* HAlter Cilix, ita cognomento dictus, *pancratio*. Pyth. *incer.* Philoftr. in Heroicis c. 2. §. 6. de *balteribus*, unde is nomen accepit. Vide Pauf. Eliac. I. c. 27. & II. c. 3.

Hegefarchus Tritaeenfis Hemoftrati fil. *pugilatu vir.* Pythi. incer. Pauf. Eliac. II. c. 12.

* Heras Laodicenus *pammacho*; hoc eft, ut explicat Faber Agonift. Lib. I. c. 30. *pancratio*. Anthol. Lib. IV. c. 2. num. 2.

Ἀλλ᾽ ἴσθι μ᾽ Ἡρᾶν Λαοδικῆα πάμμαχον.
Ὃν Σμύρνα, καὶ δρῦς Περγάμου καλίστεφον
Δελφοί, Κόρινθος, Ἦλις, Ἄργος, Ἄκτιον.

*At difce me Heram Laodicenum pammachum,*
*Cui Smyrna quercu, & Pergamum cinxit comam,*
*Delphi, Corinthus, Elis, Argos, Actium.*

Pythiade *incer.* fed ante Philippum Augufti coaevum, cuius eft Epigr.

Hercules *pancratio*. Schol. Pind. in Argum. I. ad Pythia.

* Herodorus Megarenfis *cantu in periodo*; decem, fed *incertis*, Pythiad. Athen. Lib. X. c. 3. Sed Pollux Lib. IV. c. 11. feg. 89. dicit *feptemdecim* vicibus illum *periodo* viciffe.

Hiero Aetnaeus *curru*, five, ut Pindarus ver. 113. vocat, *tethrippo*. Pindarus Pythia. I. Pythiade 26. ideft Oly. 74. Schol. ibi. Vicit etiam Pythi. 26. & 27. *celete*, & 29. *curru*. Primam, & fecundam victoriam laudavit Pindarus. Pythia. III. tertiam Pythi. I. & II. Vide Differ. I. num. 9. Coepit regnare Olymp. 76. Schol. ad Pythi. III.

Hippocleas Theffalus Phriciae fil. *diaulo puer*. Pindarus Pythi. X. Pythiade 22. hoc eft Oly. 70. Schol. ibi.

L

LAidas Thebanus *pancratio puer.* Pythia. 61. hoc eft Olymp. 109. Pauf. Phoc. c. 7.

* Leontifcus Meffanenfis Siculus *lucta*. Pyth. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 4.

Lycormas Lariffaeus *celete pullo*. Pythia. 63. hoc eft Olymp. 111. Pauf. Phoc. c. 7.

M

MEgacles Athenienfis *tethrippo*. Pindarus Pythia VII. Vicit Pythiade 28. hoc eft Olymp. 76. Schol. ibi; in cuius textu perperam legitur Pythiade 88. Vide *Faft. Attic.* Differ. IX. num. 36.

* Melancomas ex Caria Melancomae Olympionicae fil. *pugil.* Pythia. *incerta*. Sed Titi Caefaris aetate. Dion Chryfoft. Orat. 28. Sueton. c. 7. & Themift. Orat. 10.

Midas Agrigentinus *auloedia*. Pythiad. 24. & 25. hoc eft Oly. 72. & 73. Pindarus Pythi. XII. & Schol. ibi.

Milo Crotoniata *lucta puer*. mox etiam *lucta vir.* fex aliis Pythiad. Pauf. Eliac. II. c. 14. Afric. ad Oly. 62. Schol. Ariftoph. ad Ranas circa Ol. 62. qua primum viciffe videtur. Pauf. El. II. c. 14. Vide inter *Olympion*.

N

* NEro Auguftus *tragoedia*, *citharoedia*, *praeconio*; anno 3. Olymp. 211. hoc eft Pythiade 163. Philoftr. Vit. Soph. Lib. IV. c. 24. & Eufebius. Vide in *Olympion*.

* Nicon Thasius *pugil.* Suidas enim dicit ipsum *lucta*, *pancratio*, & *cursu* in Olympiis, Isthmiis, & aliis etiam Ludis vicisse, ac 1400. coronas retulisse. Itaque facile etiam Pythia vicisse videtur.

O

* OReſtes *diaulo* ante Pythiades numeratas. Sophocles in Electra ver. 1152.

Orphoudas Thebanus *curru pullorum equorum*. Pythia. 53. hoc est Olym. 101. Pauſ. Phocic. c. 7. Itaque Chabrias *adultorum equorum tethrippo* tunc vicit; vel *currus* a *tethrippo* distingui debet.

P

* PAeanius Eleus Demetrii fil. *pugil. puer*. Pauſ. El. II. c. 15. 16. moxque *pugilatu*, ſimulque *lucta vir*. eodem die. Circa Oly. 141. qua *lucta* vicit. Meminit Victoris huius etiam Suidas in *Clitomachus*.

* Pammenes Pythia facile *tragoedia* vicisse videtur; ex Philostr. Vit. Sophist. Libr. II. num. 1. §. 7. ubi dicit quod ille in Pythiis Ludis ἐπὶ τραγῳδίᾳ ἐθαυμάσθη.

Peleus *disco*. Schol. Pind. in Argum. I. Pythi.

Phayllus Crotoniata *pentathlo* bis, & *stadio* ter. Pauſ. Phoc. c. 9. Herodotus illum *ter* Pythia vicisse dicit Lib. VIII. c. 47. quod de *stadii* victoria intelligi debet. Ante Ol. 75. Vide in *Olympion.* licet ibi Pauſan. in Olympicis vicisse eum neget.

Philammon *hymno in Apollinem*. Pauſ. Phoc. c. 7. Secundus, nimirum post Chryſothemidem.

Philinus Cous Hegeſipolidis fil. *curſu*. Quatuor, ſed *incertis*, Pythiad. Pauſan. Eliac. II. c. 17. circa Oly. 129. qua *stadio* vicit.

Phricias Thessalus Hippocleae pater *curſu* fortasse *armat*. Pindarus Pythi. X. ver. 24. Pythiade *incer.* ſed ante Pyth. 22. hoc est Oly. 70. qua vicit Hippocleas. Vicerat autem Olympia *armat. curſu*. Pind. ver. 22.

Pollux *pugilatu*. Schol. Pind. Arg. I. in Pythia.

Polycles, Polychalcus dictus, *equis*. Pythi. *incer.* Pauſ. Eliac. II. c. 1.

Ptolemaeus Lagi fil. *biga pull. equor.* Pyth. 69. hoc est Ol. 117. Pauſan. Phoc. c. 7.

Pylades Megalopolitanus *citharoedia*. Pythi. *incert.* ſed antequam Philopoemen Machanidam occideret, adeoque ante an. 4. Oly. 143. Pauſ. Arcad. c. 50. Plutar. in Philopoem. Vide Differ. III. Num. 11.

Pythocritus Sicyonius *auloedia*. Pythiade 3. 4. 5. 6. 7. 8. Pauſ. Eliac. II. c. 14.

R

* Cl. RUfus, alioque nomine Apollonius, Piſaeus Cl. Apollonii Smyrnaei fil. bis *periodo* vicisse dicitur. Falcon. Inſcr. Athlet. III.

S

SAcadas Argivus *auloedia*. Pyth. 1. & 2. Pauſan. Eliac. II. c. 14. Phocic. c. 7. & Boeot. c. 30. & Corinth. c. 22. Sed vicerat etiam Ludis praeced. Amphictyonum. Plutar. de Muſica ipſum *ter* Pythia vicisse ſcribit.

Satyrus Eleus Lyſianactis fil. *pugil*. Duabus *incert.* Pythiad. Pauſ. El. II. c. 4.

* Soſicles Coronenſis *poeſi*. Plutar. Sympoſ. Lib. II. qu. 4. Pyth. *incer.* ſed aetate Plutar.

Soſtratus Sicyonius *pancratio*. Duabus, ſed *incertis*, Pyth. Pauſ. El. II. c. 4. Circa Olym. 104. qua primum vicit.

Strato Alexandrinus Chorragi fil. Aelian. V. H. Libr. IV. c. 15. Pyth. in-

*incert.* sed post Oly. 178. qua vicit *lucta*, & *pancratio*; quibus facile in Pythiis etiam vicisse videtur.

T

TElamon *lucta*. Schol. Pindar. in Argum. I. ad Pythia.

Telesicrates Cyrenaeus *armator. cursu.* Pindarus Pythi. IX. Pythiade 28. hoc est Oly. 76. Schol. ibi. Asserit illum etiam Pythiade 30. *stadio* vicisse. At Pindarus huius victoriae non meminit. In titulo Odes dicitur Telesicratem vicisse *curru*. Sed Pindarus vocat illum χαλκάσπιδα *aereo scuto* ornatum, adeoque indicat *armat. cursu* vicisse.

* Teletias Cleonaeus *certam.* & Pyth. *incert.* Hunc Sicyonii Pythiis in Ludis coronatum discerpsere; quod se Cleonaeum, non Sicyonium, renunciari voluisset. Plutar. de sera Num. vind. c. 4.

Thamyris Philammonis fil. *hymn. in Apollinem*. Pausan. Phoc. c. 7. Tertius, idest post Chrysothemidem, & Philammonem.

Theagenes Thasius *pancratio*. Tribus, sed *incertis*, Pyth. Pausf. El. II. c. 11. Circa Oly. 75. qua vicit *pancratio*.

* Theagenes Thessalus *armat. cursu*. Pyth. *inc.* Heliod. Aethiop. IV.

* Thero Agrigentinus Aenesidami fil. Xenocratis frater *tethrippo*. Pindarus Olym. II. ver. 88. 90.

* Therpander *citharoed.* Quatuor continuis, sed *incertis*, Pythiad. Plutar. de Musica.

* Thespis Thebanus *cithara*, & *cantu*. Pythi. *incerta*. Lucian. de imperito Lib. empt. Eumelus tamen Eleus tunc solus vicisse videtur.

Thessalus Corinthius Xenophontis pater *stadio*, & *diaulo*; eodem die. Pyth. *incert.* Pindarus Ol. XIII. v. 50.

Thiaeus Uliae fil. *lucta*. Pyth. *incert.* Pind. Neme. X. ver. 47. & Schol. ibi.

Thrasydaeus Thebanus *stadio puer.* Pindarus Pyth. XI. Vicit Pythiade 28. hoc est Oly. 76. Schol. ibi. iterumque *stadio*, vel *diaulo vir.* Pyth. 33. Schol. ibi. Pindarus tamen unicam *stadii puer.* victoriam agnoscit quod altera Oly. 81. adeoque fortasse post Pindari mortem contigerit. Vide in *Anonymis*.

Timaenetus Phliuntius *armato. cursu*. Pythiade 23. hoc est Oly. 71. Pausan. Phoc. c. 7.

* Timagoras Chalcidensis *pictura*. Panaeum Phidiae fratrem superavit. Pythi. *incert.* Plinius Lib. XXXV. c. 9. Vide Diss. II. Num. 13.

Timasitheus Delphus *pancratio*. Tribus, sed *incertis*, Pythiad. Pausan. Eliac. II. c. 8. Isagorae Atheniensis aetate; adeoque Pisistratidarum temporibus, sive ante Olymp. 67. qua Athenis sunt eiecti.

Timo Eleus *pentathlo*. Pythi. *incert.* Pausf. Eliac. II. c. 16.

Tisander Naxius Cleocriti fil. *pugil.* Quatuor *incertis* Pythiad. Pausan. Eliac. II. c. 13.

V

* M. VLpius Domesticus *periodonica*. Pythiade *incer.* Sed ante an. Chr. 140. Falcon. Inscr. Athl. I.

X

* XEnarges Lacon *equis*; fortasse *curru*. Pyth. *inc.* Pausf. El. II. c. 2.

Xenocrates Agrigentinus Aenesidami fil. Theronis frater *curru*. Pindarus Pythia. VI. Pythiade 24. hoc est Olym. 72. Schol. ibi. & ad Isthmiacam II. & Oly. II. ver. 88. & 90.

* Xenophon Corinthius Thessali fil. *certamine incert.* Pindar. Oly. XIII. ver. 60. ubi ipsum, ac Thessalum patrem saepius in Pythiis, ac Nemeis vicisse dicit.

T 2 Ze-

## Z

ZEtes Boreae filius *armato. cursu.* Scholiast. Pind. Argum. I. ad Pythia.

* Zoilus Zoili fil. *certam.* & Pythiade *incert.* ex Marmore apud Sponium Miscell. Erud. Antiq. Sect. X. num. 112. Ζωιλος Ζωιλου Πυθια νικησας Θεοις *Zoilus Zoili* fil. *victor in Pythiis Diis* dicavit; idque de Pythiis intelligit Sponius, quae Neapoli peragerentur.

# A N O N Y M I.

* . . . . . Alcimidae Aeginetae gentiles. Pindarus enim Nemea. VI. ver. 99. dicit Alcimidae victoriam esse *vicesimam quintam* in familia ex *sacris* certaminibus partam. Itaque facile aliqua ex ipsis *Pythiaca* fuit.

* . . . . . Alcmaeonidae Athenienses *bis* Pythia vicerunt ante Megaclem Pind. Pyth. VII. ver. 12.

* . . . . . Diogenis Cynici aetate Pythiis *viros* vicit ex Laer. Libr. VI. seg. 33.

* . . . . . Megarensis; duabus, sed *incertis*, Pythiad. ex Marmore apud Spon. Itinerar. Tom. III. pag. 222. Certe post Antoninum; nam vicisse dicitur etiam *Pialia* Puteolis.

* . . . . . Thrasydaei Thebani pater, aut certe ex maioribus aliquis Pythia *bis* vicit. Pindarus enim Pythia. XI. ver. 22. dicit Thrasydaei coronam *tertiam* esse paternum in larem invectam; & ver. 67. videtur Pythicas has victorias *stadii* ipsi patri tribuere, quod verisimilius existimo.

* . . . . . Timodemidae Timodemi Atheniensis gentiles *quater* Pythia vicerunt. Pindarus Neme. II. v. 30.

* . . . . . Vir pusillo corpore, cuius statua prope Sacadam in Olympia posita, Pythia *auloedia* vicit. Pyth. *incert.* Pausf. Eliac. II. c. 14.



N E-

# NEMEONICAE.

A



* Adrastus *equo*; in ipsa Nemeorum institutione. Apollod. Bibl. Lib. II. Vide Diss. III. Num. 1.

Alcibiades Atheniensis Cliniae fil. *equis*. Nemeade *incerta*. Pauf. Attic. c. 22. Ante Oly. 94. qua occifus fuit. Diod. Lib. XIV. c. 11.

Alcimidas Aegineta Theonis fil. & Praxidamantis nep. *lucta puer*. Nem. *incert*. Pindarus Nemeaca VI. Praxidamas eius avus vicit Olympia Aeginetarum primus. Oly. 59. Pindar. ibi ver. 30.

* Amphiaraus *cursu*, & *disco*. in Nem. instit. Apollod. Lib. II.

* Antias Thiaei gentilis Nemea, ac Isthmia *quater* vicit. Facile *quater* utrumque Agonem. Pindarus Neme. X. ver. 79. Vide in *Thrasycles*.

Antiochus Lepreates *pancratio*; duabus, sed *incertis*, Nemead. Pauf. Eliac. II. c. 3.

C. Antonius Septimius Publius *cytharoedia*; tribus Neme. *incer*. Facile Septimii Severi aetate; ex Marmore Oxon. III. Pag. 70. Certe post Commodum, cum *Commodeia* quoque vicisse dicatur. Vide Disser. III. Num. 16.

* Apollonius Pisaeus. Vide *Cl. Rufus*.

* Cl. Apollonius Smyrnaeus *periodonica*. Falconer. Inscr. Athl. III. Nemeade, & *certam. incertis*.

Archippus Mitylenaeus *pugil. viror*. Nem. *incerta*. Pauf. Eliac. II. c. 15.

Aristides Eleus puer *diaulo duplici*, qui Nemeis hibernis ab Hadriano Caesare restitutus fuit. Pauf. El. II. c. 16. Itaque post Hadrianum.

Aristoclides Aegineta Aristophanis fil. *pancratio*. Nem. *incer*. Pind. Nem. III.

* Aristodamas, sive Aristodamus Aleus Thrasydis fil. *lucta*. Duabus Nem. *incertis*; sed ante Simonidem, qui ipsum Epigrammate laudavit. Vide inter *Olympionicas*.

M. Aurelius Asclepiades Alexandrinus *certamine*, & Nem. duabus *incertis*. Gruter. Pag. 314. num. 1. Sed circa Olymp. 240. Vide Diss. I. Num. 12. & III. Num. 16.

* M. Aurelius Demostratus Damas Sardianus *periodonica*. Nemeade *incer*. Falcon. Inscript. Athl. II. *Pancratiasta*, & *pugil* vocatur. Fortasse *bis* periodo vicisse videtur; quamvis Falcon. de gemino *pugilatu* intelligat.

C

Callias Aegineta Creontis fil. *pugil*. Nem. *incer*. Pindarus Nemeaca VI. ver. 72. & Schol. ibi.

Chilo Patrensis Achaeus *lucta viror*. Tribus Nem. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 4. & Achaic. c. 6. Sed ante Olymp. 110. vel 114. qua occisus. Vide inter *Olympion*.

Chromius Aetnaeus Agesidami fil. *curru*. Nem. *incer*. Pindarus Neme. I.

Cleander Aegineta Telesarchi fil. *pancratio*. Nem. *incer*. Pindarus Isthm. VIII. ver. 6. Post pugnam Salaminiam; adeoque Oly. 75. ex Schol. Pind. ibi.

Creugas Epidamnius *pugil*. Nem. *incer*. Pauf. Arcadic. c. 40. Ipsi iam in pugilatu mortuo palma ab Argivis decreta: posita etiam statua. Pauf. Corinth. c. 20.

D

Damiscus Messenius *certam. incer*. partim Nemea, partim Isthmia *quin-*

*quinquies*. Post Olymp. 103. qua duodecennis *stadio puer.* vicerat. Pauf. Eliac. II. c. 2.

* Deiphylus Iafonis, & Hypfipyles fil. *curfu*. In Nem. inftit. Hygin. Fab. 173.

Diagoras Rhodius Damageti fil. *pugil.* Duabus, fed *incertis*, Nemead. ex Pind. Olymp. VII. ver. 148. 150. Ante Oly. 87. qua vicit Dorieus eius fil.

Dicon Cauloniates Callibroti fil. fortaffe *ftadio*. Quatuor, fed *incertis*, Nemead. Pauf. Eliac. II. c. 3. Circa Oly. 99. qua vicit *ftadio*; feque *Syracufium* appellari conceffit.

Dinias Aegineta Megae fil. *ftadio*. Pindarus Nemeac. VIII. Schol. tamen dicit *diaulo*: idque rectius putat Dodwellus; quod victoriam διαύλων σταδίων *duplicium ftadiorum* a Pindaro nominatam ver. 26. ad folum Diniam referendam exiftimet; cum tamen altera ad Diniam, altera ad Megam patrem referenda fit; ut mox oftendetur in *Megas*.

Dorieus Rhodius Diagorae fil. fortaffe *pancratio*. Septem Nemead. *incertis*. Pauf. Eliac. II. c. 7. Circa Oly. 87. qua *pancratio* vicerat.

Dromeus Stymphalius *dolicho*. Quinque, fed *incer.* Nem. Pauf. El. II. c. 7.

E

EPharmoftus Opuntius *lucta*. Nemeade incerta: ex Pind. Olymp. IX. ver. 128. Circa Oly. 73. qua *lucta* vicerat. Vide in *Olympion*.

* Epitharfes Erythraeus Metrodori fil. *certam.* & Nemead. *incer.* Pauf. El. II. c. 15. fed facile *pugil.* quo Olympia quoque viciffe dicitur.

* Ergoteles Himeraeus, fed origine Cnoffius, Philanoris fil. fort. *dolicho*. Duabus Nemead. *incertis*. Sed circa Oly. 77. qua *dolicho* vicerat. Pauf. Eliac. II. c. 4.

* Eteoclus *curfu*. In Nemeor. inftit. Apollod. Libr. II.

Evanoridas Eleus *lucta puer.* Nemeade *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 8.

Evanthes Cyzicenus *pugil. puer.* Nem. *incer.* Pauf. El. II. c. 4.

* Eunaeus Iafonis, & Hypfipyles fil. *curfu*. In Nemead. inftitutione. Hyginus Fab. 173.

Eupolemus Eleus *pentathlo*. Nem. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 3. Sed circa Olymp. 96. qua *ftadio* viciffe dicitur ab Afric.

Eurybates Argivus *pentathlo*; quinque, fed *incertis*, Nemead. Pauf. Attic. c. 29. Ante pugnam Marathoniam ex Herodoto Lib. VI. c. 92. & 94. adeoque Oly. 72. Occifus a Sophane Decelenfi, qui & ipfe paullo poft proelium Plataeenfe, adeoque Oly. 75. interiit. Herod. Lib. IX. c. 74.

* Euthymenes Aegineta Phylacidae, & Pytheae avunculus *pancratio*. Nemeade incer. Schol. Pind. ad Ifthm. VI. Pindarus tamen Ifthmiacae folum, non Nemeacae victoriae meminit.

F

* T. Flavius Artemidorus Adanenfis; duabus, fed *incer.* Nemead. Rhein. Cl. V. num. 22. Facile *pancratio*, quo Ludos alios vicerat. Vide Differ. IV. Num. 13.

G

GLaucus Caryftius Demyli fil. *pugil.* Octo, fed *incer.* Nem. Pauf. Eliac. II. c. 10.

H

HEgefarchus Tritaeenfis Haemoftrati fil. *pugil.* Nem. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 12.

* Heras Laodicenus *pammacho*, ideft *pancratio*. Nem. *incer.* Anthol. Lib. IV. Vide inter *Pythion*.

Her-

Hermogenes Antiochenus *stadio*. Nem. *incer.* Anthol. Lib. VI. c. 2. num. 2.

* Herodorus Megarensis *cantu in periodo*. Decem *incertis* Nemead. Athen. Libr. X. c. 3. Pollux Lib. IV. c. 11. seg. 89. dicit *septemdecim*.
* Hiero Aetnaeus ex Callimacho apud Schol. Pind. Pyth. II. Fortasse *curru* vicit.

Hyllus Rhodius *lucta*. Nem. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 14.

Hysmon Eleus *pentathlo*. Nem. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 3.

L

* LAodochus *iaculo*. In Nemeorum instit. Apollod. Lib. II.

Lastratidas Eleus Paraballontis fil. *lucta puer.* Nem. *incer.* Pauf. El. II. cap. 6.

M

* MAntheus Aethi fil. *pentathlo puer.* Nem. *incer.* ex Marmore apud Murat. Circa Olymp. 79. Vide Diff. III. Num. 3.
* Megas Aegineta Diniae pater *stadio*. Etenim Pindarus Diniae victoriam celebrans Nemeaca VIII. ver. 26. dicit

Δεινία διςσῶν σταδίων
Καὶ πατρὸς Μέγα Νεμεαῖον ἄγαλμα
*Diniae, duplicium stadiorum,*
*Et patris Megae Nemeum ornamentum.*

Sic ver. 80.

ἐκαλὶ ποδῶν ἐωνύμων
Δὶς δὴ δυοῖν
*pedum victorias illustres*
*bis sane duas.*

Ergo, cum Pindarus initio dixerit Diniam *stadio* vicisse, nunc vero *duplex stadium*, & *duas victorias*, ac Diniam, simulque Megam memoret; Megas ipse Nemeorum victor habendus erit. Dum vero Pindarus Diniae victoriam laudavit, Megas iam obierat; ver. 75.

Melesias *pancratio puer.* & *vir.* Duabus, sed *incer.* Nemead. Pindar. Olymp. VIII. ver. 74. Schol. recent. dicit ipsum *lucta puer.* Olympia, ac Nemea vicisse, antequam *pancratio* certaret.

Melissus Thebanus Telesiadae fil. *equis.* Nemeade *incer.* Pindar. Isthm. III. ver. 20. Vide inter *Isthmionicas.*

* Milo Crotoniata; *novem*, sed *incertis*, Nemead. Afric. ad Olymp. 62. Pauf. Eliac. I. c. 2. *pentathlo* vicisse dicit; sed victoriarum numerum non exprimit.

N

NIcander Eleus partim *cursu*, partim *diaulo*. Sex *incer.* Nemead. Pauf. Eliac. II. c. 16.

* Nicon Thasius pugil Nemea vicit *lucta*, *pancratio*, *cursu*, aliisque *certamin.* idque saepius, cum 1400. ejus victoriae in Ludis partae memorentur. Nemead. *incert.* Suid. in *Nicon.*

P

* PArthenopeus *arcu*; in Nemeor. instit. Apollod. Lib. II.

Perilaus Argivus Alcenoris fil. *lucta*. Nemeade *incert.* Pauf. Corinth. c. 20.

Philinus Cous Hegepolidis fil. *cursu*. Quatuor *incert.* Nemead. Pauf. El. II. c. 17. Circa Oly. 129. qua *stadio* vicit.

Phylacidas Aegineta Lamponis fil. *pancratio*. Nemea. *incert.* Pindar. Isthmi. V. & VI. & Schol. ad Isthm. VI. ver. 89. Post proelium Salaminium; adeoque Oly. 75. Pind. ibi ver. 63. ubi male Scholiastes intelligit de Peloponnesiaco.

Polycles Lacon, Polychalcus dictus, *equis*. Nem. *incer.* Pauf. El. II. c. 1.

* Polynices *lucta*; in Nemeor. instit. Apollod. Lib. II.

Pra-

Praxidamas Aegineta *pugil.* Tribus, sed *incer.* Nemead. Pind. Nemeaca VI. ver. 34. Circa Oly. 59. qua *pugil.* vicerat.

Promachus Pelleneus Dryonis fil. *pancratio*. Duabus *incert.* Neme. Pausan. Eliac. II. c. 8. & Achaic. c. 27. Circa Ol. 93. qua *pancratio* vicit.

* Pylades Megalopolitanus vicisse videtur *citharoedia*; Nemeade *incert.* Pausan. Arcad. cap. 50. Dum Philopoemen Nemeis intererat; ideoque Oly. 143. an. 4. Vide Diss. III. Num. 11.

Pytheas Aegineta Lamponis fil. & Phylacidae frater *pancratio*; Nem. *incer.* Pindarus Neme. V. & Isthmia. V. ver. 21. & VI. ver. 4. & Scholiast. ad VI. ver. 89.

R

* Cl. Rufus, alioque nomine Apollonius, Pisaeus Cl. Apollonii Smyrnaei fil. bis *periodo* vicit. Falcon. Inscr. Athl. III. Nemeade *incert.*

S

Satyrus Eleus Lysianactis fil. *pugil.* Quinque *incert.* Nemead. Pausan. Eliac. II. c. 4.

Sogenes Aegineta Thearionis fil. *pentathlo. puer.* Pind. Neme. VII. Nemeade 14. Schol. ibi. Pacile circa Olym. 79. Vide Diss. III. Num. 3.

Sostratus Sicyonius *pancratio.* Pluribus, sed *incert.* Nemead. Etenim *duodecim* palmas partim in Nemeis, partim in Isthmiis obtinuit. Pausan. Eliac. II. c. 4. Post Olymp. 104. qua *pancratio* vicit.

Stomius Eleus *penta. vir.* Tribus Nem. *incer.* Pausan. Eliac. II. c. 5. Post proelium Leuctricum; adeoque Olymp. 102.

Strato Alexandrinus Chorragi fil. Nemead. *incert.* Aelian. V. H. Lib. IV. c. 15. Fortasse *lucta*, aut *pancratio*, quibus vicit Oly. 178.

T

Theagenes Thasius Timosthenis fil. *pancratio* partim, & *pugilatu*. Novem, sed *incertis*, Nemead. Pausan. Eliac. II. c. 11. Circa Oly. 75. qua vicit *pugilatu*.

Thiaeus Uliae fil. *lucta*. Tribus *incertis* Nemead. Pindarus Neme. X. ver. 48. & 50. & Schol. ibi.

* Thrasycles, & Antias Thiaei gentiles Nemea, ac Isthmia *quater* vicerunt. Pindarus Nemea. X. v. 79. Fortasse *quater* utrobique. Sed *certam.* incerto. Schol. tamen id de Thiaei maioribus intelligit.

Timasarchus Aegineta Timocriti fil. *lucta*. Nem. *incer.* Pind. Nem. IV.

Timo Eleus Aegypti fil. *pentathlo*. Neme. *incert.* Pauf. El. I. c. 2. & II. c. 12. & 16.

* Timocritus Aegineta Timasarchi pater *certam.* & Nemeade *incert.* Pindar. Neme. IV. ver. 27. Seriem coronarum obtinuisse dicitur; adeoque saepius vicisse videtur.

Timodemus Atheniensis Timonoi fil. *pancratio*. Nem. *incert.* Pindar. Neme. II. antequam vinceret Olympia. Schol. ibi.

Timosthenes Iphionis fil. Alcimedontis frater *lucta*. Pindar. Oly. VIII. ver. 21. Ante Alcimedontem fratrem, qui vicit Olym. 80. ex Scholiast. ibi.

* Tydaeus *pugilatu*; in Nemeor. instit. Apollod. Lib. II.

V

* M. Ulpius Domesticus *periodonica*. Nemeade, & *certamine incert.* Sed ante annum Chr. 140. Falcon. Inscr. Athlet. I.

Xe-

X

* XEnarges Lacon *equis*, fortafse *curru*. Nemeade *incert.* Pauf. Eliac. II. c. 2.

Xenophon Corinthius Thefsali fil. *ftadio*, & *pentathlo*. Pind. Oly XIII. ver. 47. Circa Oly. 79. qua *ftadio*, fimulque *pentath*. ead. die vicit.

# ANONYMI.


* . . . . . Alcimidae Aeginetae gentiles. Dicit enim Pindarus hanc efse *vicefimam quintam* victoriam ex *facris* Certaminibus.. Neme. VI. Itaque facile aliquam ex Nemeis.

* . . . . . Megarenfis; tribus, fed *incertis*, Nemead. ex Marmore apud Sponium Itin. pag. 222. quod, cum Megaris pofitum fuerit, facile ad Megarenfem civem fpectavit.

* . . . . . Oligetidae Xenophontis Corinthii gentiles Nemea *tricefies* vicerunt ex Pindaro Olympi. XIII. ver. 141. Ante Xenophontem ipfum, adeoque Oly. 79.

* . . . . . Theandride Timafarchi Aeginetae gentiles. Pindar. Nem. IV. ver. 121.

* . . . . . Timodemidae Timodemi Athenienfis gentiles; *feptem*, fed *incertis*, Nemead. Pindarus Nem. II. ver. 30.



# ISTHMIONICAE.

## A



Gesimachus Aegineta Sosiclis pater, & Praxidamantis avus *pugil.* Pindarus Neme. VI. ver. 21. & 44. & Schol. ibi. Isthmiade *incerta*; Sed ante Ol. 50. cum Praxidamas vicerit Ol. 59.

* Antias, & Thrasycles Thiaei gentiles Isthmia, ac Nemea *quater* vicere. Pindarus Neme. X. ver. 79. fortasse *quater* ipsorum singula. Isthmia. & *certam. incertis*.

Antiochus Lepreates *pancratio*; duabus, sed *incertis*, Isth. Pauf. El. II. c. 3.

* Apollonius Pisaeus. Vide *Cl. Rufus*.
* Cl. Apollonius Smyrnaeus *periodonita*. Falcon. Inscr. Athl. III. *Certam.* & Isthm. *incertis*.

Archippus Mitylenaeus *pugil. viror.* Isthm. *incert.* Pauf. El. II. c. 15.

* Aristodamas, sive Aristodemus, Aleus Thrasydis fil. *lucta*. Isth. *incert.* Sed ante Simonidem. Vide inter *Olymp.*
* Aristomacha Ery . . . . . . fortasse *Erythraea*, *poesi*. Plutar. Sympos. Lib. V. quaest. 2. Eius Libellus aureis characteribus exaratus in Sicyoniorum thesauro Delphis repositus fuit. Itaque facile post Myronem Sicyonium, qui thesaurum in Olympia dicavit. Vide *Myson* in *Olympion.*

M. Aurelius Asclepiades Alexandrinus; duabus, sed *incertis*, Isthmiad. Gruter. Pag. 314. Circa Ol. 240. Vide Disser. III. Num. 16.

* M. Aurelius Demostratus Damas Sardianus *periodon.* Isthm. *incer.* Falcon. Inscr. Athl. II. *Pancratiasta*, & *pugil* fuisse dicitur. Vide in *Olympion.*

## C

Callias Aegineta Creontis fil. *pugil.* Isthm. *incert.* Pindarus Nem. VI. ver. 68. & Schol. ibi.

Callicles Aegineta Timasarchi avunculus *certam.* & Isthm. *incer.* Pind. Nemea. IV. ver. 130. & 141.

* Charmus Lycini fil. *certam.*& Isthm. *incert.* Anthol. Lib. VI. c. 2. n. 1.

Chilo Patrensis *lucta viror.* Quatuor, sed *incert.* Isthm. Pauf. El. II. c. 4. & Achaic. c. 6. Ante Olymp. 110. vel 114. qua occisus fuit. Vide in *Olympionicis*.

Cleander Aegineta Telesarchi fil. *pancrat.* Isthm. *incer.* Sed post pugnam Salaminiam, adeoque Ol. 75. Pindarus Isthm. VIII. & Schol. ibi.

Clitomachus Thebanus Hermocratis fil. *lucta viror. pugil.* & *pancratio* ead. die. Isthm. *incert.* Pausan. Eliac. II. c. 15. Circa Olymp. 141. qua vicit *pancratio*. Memoratur etiam in Anthol. Lib. IV. c. 2. num. 5.

Clytomachus Aegineta Aristomenis avunculus *lucta*. Isth. *incert.* Pindar. Pythi. VIII. ver. 51. Ante Ol. 83. qua Aristomenes vicisse dicitur Pythia. A Pindari Scholiaste Cleitomachus vocatur.

## D

Damiscus Messenius *certam.* & Isthmi. *incert.* partim Isthmia, partim Nemea *quinquies*. Pauf. Eli. II. c. 2. Circa Olymp. 103. qua *stadio puer.* vicit.

* Damostratus Sinopensis *certam.* ignoto; sex *incert.* Isthm. Anth. Lib. III. c. 2. n. 3. Ante Augustum, ipsique coaevum Philippum, cuius est Epigr.

Diagoras Rhodius Damageti fil. *pugil.* Quatuor *incert.* Isthmiad. Pindar. Olymp. VII. ver. 148. Ante Olymp. 80. qua obiisse dicitur ipse Pindarus,

rus; vel certe Olymp. 87. qua vicit Dorieus Diagorae fil.

Dicon Cauloniates, moxque Syracusius, Callibroti fil. tribus *incert.* Isth. Pausan. Eliac. II. c. 3. Fortasse *stadio*, quo vicit Oly. 99.

* Diophon Philonis fil. *certam.* & Isthm. *incert.* Anthol. Lib. I. c. 1. num. 8. Ante Simonidem, cujus est Epigramma. Vide in *Pythion.*

Dorieus Rhodius Diagorae fil. fortasse *pancratio*. Octo continuis, sed *incertis*, Isthmiad. Pausan. Eliac. II. c. 7. postquam vicerat *pancratio* Olym. 87. 88. 89.

Dromeus Stymphalius *dolicho*. Tribus *incertis* Isthmiad. Pausan. Eliac. II. c. 7.

E

Epharmostus Opuntius *lucta*. Duabus, sed *incertis*, Isthm.ad. Pindarus Olymp. IX. ver. 128. Circa Oly. 73. qua *lucta* vicerat. Vid. Dissert. IV. Num. 3.

* Epitherses Erythraeus Metrodori fil. *certamine*, & Isthmiade *incert.* Pausan. Eliac. II. c. 15. Facile *pugilatu*, quo Olympia vicit.

Ergoteles Himeraeus, sed origine Cnossius, *dolicho*; duabus *incertis* Isthmi. Pausan. Eliac. II. c. 4. Pindarus Olymp. IX. ver. 26. unius solum Isthmiacae victoriae meminit. Itaque secunda post Oly. 77. contigit, qua Ergotelis victoriam in Olympia partam Pindarus celebravit.

* Eritimus Corinthius Xenophontis gentilis *saepe* in Isthmiis vicit. Pindarus Olymp. XIII. ver. 58. 59.

Evanthes Cyzicenus Isth. *incert.* Pausan. Eliac. II. c. 4. *pugil. puer.* quo Nemea vicerat.

Eubatus Cyrenaeus non modo Ol. 93. *stadio*, sed Isthmia quoque vicisse videtur. Etenim Aelian. V. H. Lib. X. c. 2. dicit Laidem ipsum conspicatam ante certamen adamasse. Itaque, cum Lais Corinthi degeret, facile de Isthmiacis Ludis intelligi id debet. Vide Pausan. Corinth. c. 2. Meminit etiam Clem. Alex. Str. III. sed Aristotelem vocat.

Euthymenes Aegineta Pytheae avunculus *pancratio*. Isthm. *incert.* Pindarus Isth. VI. & Nemea. V. v. 75 & Schol. Pind. ad Isth. VI. v. 89.

F

* T. Flavius Artemidorus. Isthmi. *incert.* ex Marmor. Rhein. Class. V. n. 22. Vide Dissert. IV. Num. 13. Facile *pancratio*, quo Ludos alios vicisse dicitur.

G

Glaucus Carystius Demyli fil. octo, sed *incertis*, Isthmiad. Facile *pugil.* quo vicit Olympia. Pauf. Eliac. II. c. 10.

H

Hegesarchus Tritaeensis Haemostrati fil. *pugil.* Isthm. *incer.* Pauf. Eliac. II. c. 12.

* Heras Laodicenus *pammacho*, idest *pancratio*. Isthmiad. *incer.* Anthol. Lib. IV. Vide inter *Pythionic.*

* Hermogenes Antiochenus Daemonis fil. *stadio*. Isthm. *incer.* Anthol. Lib. VI. c. 2. num. 2.

* Herodorus Megarensis *cantu in periodo*. Decem *incertis* Isthmiad. Athenae. Lib. X. c. 3. Pollux Lib. IV. c. 11. seg. 89. dicit *septemdecim*.

Herodotus Thebanus, sive, ut alii volunt, Orchomenius, Asepodori fil. *curru*. Isthmiade *incer.* Pindarus Isthm. I. dicit ver. 11. coronas *sex* Isthmiacas Thebano Populo concessas esse; easque nonnulli ab Herodoto solo partas esse arbitrantur. Schol. ibi.

Hyllus Rhodius *lucta*. Ifthm. *incer*. Paufan. Eliac. II. c. 14.

L

LAmpromachus Opuntius Epharmofti gentilis *lucta*. Oly. 73. Pindarus Olymp. IX. ver. 124. & Schol. ibi. Vide Differ. IV. Num. 4.

Lycus Corinthius Phidolae fil. *celete*. Ifthm. *incer*. Pauf. Eliac. II. c. 13. Circa Oly. 68. qua Olympia vicit *celete*. Memoratur etiam in Anthol. Lib. IV. c. 2.

M

MEliffus Thebanus Telefiadae fil. *equis*. Ifthmiade *incer*. Pindarus Ifthm. III. & IV. Innuit Pindarus Ifthm. IV. ver. 70. etiam *pancratio* Meliffum viciffe. Itaque facile duas Ifthmiadas, unam *equis*, aliam *pancratio*, vicit.

* Milo Crotoniata; decem, fed *incertis*, Ifthmiad. Afric. ad Olymp. 62. Fortaffe *lucta*, qua Olympia vicit.

N

* NEro Auguftus *citharoedia*, & *praeconio*. Oly. 211. ex Eufeb. ad annum 2. Olymp. 211. & Philoftr. Vita Apoll. Lib. IV. c. 24. & Lucian. in Nerone. Suet. c. 22. 24. Dion. Libr. 63. & Plutar. in Flamin.

Nicocles Aegineta Cleandri avunculus *pugil*. Ifthm. *incert*. Pindarus Ifthm. VIII. ver. 134. Obierat antequam Pindarus ipfe Cleandri victoriam laudaret.

* Nicon Thafius pugil Ifthmia vicit *lucta*, *pancratio*, *curfu*, aliifque *certam*. Ifthmiad. *incer*. Quin etiam faepius viciffe videtur, cum 1400. victorias in variis Graeciae Ludis obtinuerit. Suidas in *Nicon*.

P

PHilinus Cous Hegepolidis fil. *curfu*. Vndecim *incertis* Ifthmiadibus. Pauf. Eliac. II. c. 17. Circa Oly. 129. qua *ftadio* vicit.

Phylacidas Aegineta Lamponis fil. *pancratio*; duabus *incer*. Ifthmiad. Pindarus Ifthm. V. ver. 21. & VI. ver. 4. & Scholia. ad ver. 89 Sed poft Oly. 75. five pugnam Salaminiam, cuius meminit Pind. V. verf. 63.

Polycles Lacon, Polychalcus dictus, *equis*. Ifthm. *incer*. Pauf. El. II. c. 1.

Praxidamas Aegineta Theonis pater, Alcimidae avus *pugil*. Quinque, fed *incer*. Ifthmiad. Pindarus Nemea. VI. ver. 33. Circa Olymp. 59. qua vicit *pugilatu*.

Promachus Pelleneus Dryonis fil. *pancratio*; tribus *incertis* Ifthm. Pauf. Eliac. II. c. 8. & Achaic. c. 27. Circa Oly. 93. qua vicit *pancratio*.

* Ptoedorus Corinthius Xenophontis gentilis *certam*. & Ifthm. *incer*. Pindarus Olymp. XIII. ver. 58. ubi plures illi victorias tribuit Ifthmiacas.

R

* CL. Rufus, alioque nomine Apollonius, Pifaeus Cl. Apollonii Smyrnaei fil. bis *periodo* vicit. Falcon. Infcr. Athl. III. *Certam*. & Ifthm. *incer*.

S

SOftratus Sicyonius *pancratio*, partim Nemea, partim Ifthmia, *duodecies*. Pauf. Eliac. II. c. 4. Poft Olymp. 104. qua primum palmam obtinuit.

Strato Alexandrinus Chorragi fil. Ifthm. *incer*. Facile *lucta*, aut *pancr*. quibus vicit Oly. 178. Aelian. V. H. Lib. IV. c. 15.

Strepfiades Thebanus Diodoti fil. *pancrat*. Ihftm. *incer*. Pindarus Ifthm. VII. Scholiaftes afferit poft bellum Pe-

Peloponnesiacum; ad ver. 34. Sed ibi *Persicum*, hoc est Salaminium, adeoque Oly. 75. intelligendum esse demonstravi in *Fastis Atticis* Diss. IX. Num. 37.

T

THeagenes Thasius Timosthenis fil. partim *pancrat.* partim *pugil.* decem *incertis* Isthmiad. Paus. Eliac. II. c. 11. Circa Olymp. 75. qua vicit *pugilatu virorum*.

Theocrestus Cyrenaeus alterius Theocresti avus *curru*. Isthm. *incer.* Paus. Eliac. II. c. 12.

Thero Agrigentinus Aenesidami fil. *tethrippo*. Isthm. *incerta*. Pindarus Olymp. II. ver. 89. Circa Oly. 72. antequam solus regnaret. Pindarus enim ipsum Pythia, atque Isthmia una cum Xenocrate fratre vicisse dicit ver. 88. 89. Vicerat autem Xenocrates Pythiadem 24. hoc est Oly. 72. Schol. ad Pyth. VI.

* Therpsias Corinthius Xenophontis gentilis *certam.* & Isthm. *incer.* Pindarus Olymp. XIII. ver. 58. ubi saepius ipsum vicisse dicit in Isthmiis.

Thiaeus Vliae fil. *lucta*; tribus, sed *incer.* Isthm. Pindarus Nem. X. ver. 50.

* Thrasycles, & Antias Thiaei gentiles *certam.* & Isthmiad. *incer.* Pindarus Neme. X. ver. 79.

* M. Tullius Apamensis *pugil.* Isthm. *incer.* Ex marmore apud Spon. Miscel. Erud. Antiqu. Sect. X. Num. 113.

V

* M. Vlpius Domesticus *periodonica*. Isthmiade, & *certam. incer.* Sed ante annum Chr. 140. Falcon. Inscr. Athl. I.

X

* XEnarges Lacon *equis*, fortasse *curru*. Isthm. *incer.* Paus. El. II. c. 2.

Xenocrates Agrigentinus Aenesidami fil. Theronis frater *equis*, fortasse *tethrippo*, una cum fratre. Isthm. *incer.* Pindarus Olymp. II. & Isthm. II. Circa Oly. 72. qua Pythia vicerat.

Xenophon Corinthius *stadio*, & *pentathlo*. Duabus, sed *incertis*, Isthmiad. Pindarus Olymp. XIII. ver. 45. Circa Oly. 79. qua vicerat ex Schol.

# ANONYMI.

* . . . Alcimidae Aeginetae gentiles. Nam Pindarus Nemea. VI. ver. 99. dicit Alcimidae victoriam esse *vicesimam quintam* ex *sacris* Certaminibus in familia partam. Itaque facile ipsarum aliqua ex Isthmiis.

* . . . . Alcmaeonidae Megaclis Atheniensis gentiles Isthmia *quinquies* vicerunt. Pindarus Pith. VII. ver. 12.

* . . . . Herodis Sophistae discipulus *oratione*. Plutarchus Sympos. Libr. VIII. quaest. 4. Isthmia. *incert.* sed aetate Plutarchi.

* . . . . Megarensis; duabus, sed *incertis*, Isthmiad. ex Marmore Sponii Itiner. Pag. 222. Marmor enim Megaris positum facile ad Megarensem civem spectaverit.

* . . . . Oligetidae Xenophontis Corinthii gentiles Isthmia *trigesies* vicerunt; ex Pindaro Olymp. XIII. ver. 141. & Schol. ibi.

* . . . . *stadio* viros vicisse dicitur. Isthmi. *incerta*; sed Diogenis Cynici aetate. Dio Chrysost. Orat. VIII.

* . . . . Theandridae Timasarchi Aeginetae gentiles. Pindarus Neme. IV. ver. 121.

The-

* . . . . Thebani cives Isthmiacas *quinque* coronas ante Herodotum obtinuerunt; cum Pindarus Herodoti victoriam *sextam* fuisse dixerit. Isthm. I. ver. 11. Vide in *Herodotus*.

* . . . . Timodemidae Athenienfis Timodemi gentiles. *Octo*, sed *incertis*, Isthmiad. Pindarus Nem. II. ver. 30.

# F I N I S.

Pag. 3. & 13. Coraebus *lege* Coroebus  Pag. 16. vers. 12. quae *l.* qui  Pag. 21. v. 4. post CCXLI. *l.* post CCXXXV. & sextam post CCXLI. Pag. 24. v. 27. Olympico *l.* Olympieo  Pag. 37. v. 18. Oly. L. *l.* Oly. LV. Pag. 47 v. 25. singula *l.* singuli  Pag. 56. v. 36 Α῎ντιβαλ *l.* Α῎ντιβας  Pag. 59. v. 16. hoc est ³⁄₄ Olymp. CXXXIX. *l.* hoc est ¹⁄₄ Olymp. CXL. non, ut scribit Dodvellus, ⁴Olymp. CXXXIX.  Pag. 61. v. ult. *secundo l. tertio*  Pag. 62. Philopoemenes *l.* Philopoemen  Pag. 64. v. 18. proximus *l.* primus  Pag. 65. v. 24. Lib. XVIII. *l.* Libro XXVIII.  Pag. 78. v. 30. *proponuntur l. praeponuntur*  Pag. 104. v. 1. atque *l. qui*  Pag. 127. v. 16. Olymp. 238. *l.* Olymp. 138. v. 17. poterit *l.* posset  v. 21. appellatur. Siquidem *l.* appellatur; nisi ipsorum aetas, ac 40e. annorum intervallum obstaret. Siquidem



Vum in Agonisticis hisce Dissertationibus definiendo Ludorum tempori Corinthii, Macedonici, Attici, Romanique menses saepius memorentur, atque intersese conferantur, integram demum illorum omnium seriem exponere hic libuit, ut verus etiam ipsorum situs, atque connexio demonstretur.

| *Corinthii* | *Macedonici* | *Attici* | *Romani* |
|---|---|---|---|
| Panemus | Lous | Hecatombaeon | Iulius |
| Carnius | Gorpiaeus | Metagitnion | Augustus |
| . . reliquorum nomina ignota . . | Hyperberetaeus | Boedromion | September |
| . . . . | Dius | Pyanepsion | October |
| . . . . | Apellaeus | Maemacterion | November |
| . . . . | Audynaeus | Posideon | December |
| . . . . | Peritius | Gamelion | Ianuarius |
| . . . . | Dystrus | Anthesterion | Februarius |
| . . . . | Xanthicus | Elaphebolion | Martius |
| . . . . | Artemisius | Munychion | Aprilis |
| . . . . | Daesius | Thargelion | Maius |
| . . . . | Panemus | Scirrhophorion | Iunius |

Hecatombaeonem Atticum Romano Iulio, sive Quintili, coniungendum esse in Fastis Atticis observavi Differt. II. Num. 8. Panemum vero Corinthium, Loumque Macedonicum eidem ipsi Hecatombaeoni non sequioribus solum, sed antiquioribus etiam, temporibus respondisse contra Scaligerum, Vsserium, Petavium, Dodvellum perspicuis, certisque rationibus demonstravi. Etenim celebrem Demosthenis locum [1], in quo *Panemus*, *Lous*, ac *Boedromion*, veluti menses sibi invicem respondentes, nominantur, vitiatum esse, ibique non *Boedromionis*, sed *Hecatombaeonis*, nomen legendum esse ostendi Differt. III. Num. 21. ut proinde Mensium illorum series, atque connexio superius a me.

(1) Orat. de Corona Pag. 335.

me proposita perspicua, & accuratissima censeri debeat: De Pyanepsionis autem situ ante Maemacterionem Differt. XIV. disputavi. Denique, quod ad *Carnium* attinet, cum Dodvellus [1] Corinthios, Siculosque Menses eosdem esse putaret, atque ex veteri quadam aerea Lamina [2] *Carnium bimestrem* ab Agrigentinis usurpatum esse censeret, Carnium ipsum in Corinthiis annis *duodecimum* fuisse voluit; ut illi in embolimaeis annis *Carnius bimestris*, sive *Carnius II.* velut embolimus, adiungeretur. Itaque, cum Siculorum Carnius ex Plutarcho [3] Metagitnioni, Panemus autem ex Dodvelli sententia, hoc est ex vitiato Demosthenis loco, Boedromioni Attico respondeat, Dodvellus ipse Carnium ante Panemum proxime collocavit; ut civiles Corinthiorum anni a Panemo, veluti cardine, ducerentur. At in Fastis Atticis Differt. XIV. ostendo quod in aerea Agrigentinorum Tabula *Carnius* ille *bimestris* minime memoratur; quod Panemus ipse Carnium non proxime sequitur, sed praecedit; quod denique Panemus in civilibus Corinthiorum annis non *primum*, sed *decimum*, vel *undecimum* locum obtinet; cum certe Carnius in Siculis, ideoque facile in Corinthiis etiam, annis *undecimum*, vel *duodecimum* locum occupaverit.

(1) Differt. VI. sect. 10. (2) Gruter. Pag. 401. (3) In Nicia:

